

et Alboud

QVADRIGA SACERDOTVM Ad CÆLVM,

SIVE

PRÆDESTINATIO SACERDOTALIS,

Per Quatuor Novissima jugiter expensa,

AUTHORE

R. P. MICHAELE RYCHALSKI, Pœnitentiario & Seniore Psalteristarum Ecclesiæ Cathedralis Vladislaviensis.

S HIERONYMVS.

Legant prius & postea despiciant, ne videantur non ex judicio sed ex odij præsumptione ignorata damnare.

CRACOVIÆ,
Typis CHRISTOPHORI DOMANSKI, S. R. M. Typ. Anno 1705.

Habac. 3.
Quadrigæ tuæ Salvatio.
Sapien. 7.
Memorare Novissima tua, & in æternum non peccabis.

S. BERNARDUS.

Novissima sunt quatuor: MORS, IUDICIUM, GEHENNA, GLORIA. Quid horribiliùs Morte? quid terribiliùs Iudicio? quid intolerabiliùs Gehenna? & quid jucundiùs Gloria? *In Serm.*

D. AUGUSTINUS.

Qui novissima non provident in Mortem & damnationem vadunt. *Tom: 9. Spec. peccat. c. 1.*

PRÆ-

PRÆFATIO
Ad Sacerdotes.

IN *Amalthea capra pelle fingebant fabulæ se legere Diphteram Jovis, res futuras indicantem.* *At verò Diphtera Prædestinationis Sacerdotalis est Liber Quatuor Novissimorum; Est Volumen quatuor foliorum. Primum ejus folium est* MORS; *Secundum,* Iudicium; *Tertium,* Infernus; *Quartum,* Cœlestis Gloria. *Hæc Diphtera, hic Liber quotannis per Quatuor Anni Tempora est perlegendus; ita, ut singula folia sibi vendicent tres Menses, quibus ea legas attentè, & facias id, quod suadet* DEUS *Eccl.* 7. In omnibus operibus tuis

 memo-

memorare Novissima tua & in æternum non peccabis. *Ubi alij in Biblia Versionum legunt:* In omnibus verbis tuis, memor sis mortis. *Hoc enim est signum Prædestinationis tuæ, ne damneris.* Crede Sancto Ambrosio, & *cum illo* DEUM *ora sic: Illud magnoperè peto: Diem obitûs, diem extremi Judicij, damnationem extremi supplicij, Beatitudinemque Regni futuri semper meminerim. Quod nemo indesinenter potest, nisi qui ad vitam præordinatus est æternam. Nemo, nemo id faciet, nisi præordinatus. Præordinatus erat* Divus Bernardus, *quia inferni semper memor fuit dum clamaret ad* JESUM: *Ne permittas me damnari, quem tu de nihilo creasti. Præordinatus* Sanctus Augustinus, *qui sic orabat: Domine, per sanctissimas pœnas tuas, quas ego indignus recolo, & per Sanctam Crucem & Mortem tuam, libera me à pœnis Inferni; & perducere digne*

ris, quò perduxisti Latronem tecum crucifixum. Praordinatus erat Sanctus Philippus Nerius, *qui solebat dicere: Qui non it ad infernum vivus, periculum subit, ne eat mortuus. Prædestinatus denique* Sanctus Chrisostomus *qui verbo & exemplo, hanc Novissimorum memoriam instanter commendabat. Unde fertur ipse Imaginem pictam in muro sui cubiculi habuisse; solebatque dicere: Nemo eorum, qui gehennam ob oculos habent in Gehennam incidet, (en Signum Prædestinationis:) nemo contemnentium Gehennam effugiet. Episcopi, qui Gregem Verbo* DEI *pascere tenentur, hoc à Consecratore accipere solent documentum in sua Consecratione:* ANNOS ÆTERNOS IN MENTE HABE: *Quibus verbis commonentur, ut continuam Æternitatis, vitæque futuræ foveant memoriam, hocque Punctum omnes sibi commissos edoceant Populos, ut illis præluxit* S. Pachomius,

bis: *qui longam exhortationem his terminavit verbis: Ante omnia præ oculis habeamus ultimum diem, & momentis singulis æternorum dolorum supplicia formidemus. Jam verò non commoveri ad virtutem, vel non amoveri à peccato Novissimorum commemoratione aut lectione, signum esse reprobationis;* Ludovicus Granatensis *asserebat: Si quis, ait, ad hæc ipsa quæ dicimus (nimirùm de die judicij,) torpet & languet, nihiloq; magis afficitur, quam si hæc omnia ad illum minime pertinerent, vehementissimum hoc cæcitatis, obdurationis, & reprobationis argumentum est?* Concione 1. Domini 2. Adventus. *Cave igitur, ne sis è cæcis. Nam ut scribit gemens* Sanctus Cyprianus Lib. 2. Epist. 3. *Illorum flenda & lamentanda conditio est, quos sic diabolus excæcat, ut æterna Gehennæ supplicia non cogitent.* Ergo in omnibus operibus tuis, memorare No-

vissima tua, & in æternum non peccabis. *Eccl. 7.*

Ultima si vitæ mortalis fata revolvas
Omni criminibus tempore liber eris.
Sæpius extremi si Judicis ora revolvas:
Omni criminibus tempore liber eris.
Sæpiùs Inferni pœnas si mente revolvas:
Omni criminibus tempore liber eris.
Deniq; Cælestis spectes si Gaudia Regni:
Omni criminibus tempore liber eris.

APPROBATIO.

L*ibellum sub titulo* QVADRIGA SACERDOTVM ad Coelum, *in Quatuor Novissimis, accuratè satis ab Admodùm Reverendo Domino* Michaele Rychalski, Poenitentiario & Seniore Psalteristarum, Ecclesiæ Cathedralis Vladislaviensis *Constitutum, legi diligenter, atque Typis evulgandum, ad usum boni Spiritualis. Die 7. Aprilis, Anno Domini* 1682. *permisi.*

Christophorus Bernewicz S. T. Doctor, Canonicus & Surrogatus pro tunc Officii Vladislaviensis.

Reimprimatur.

Concedit

Officium Consistoriale Vilnense.

CAPVT I.

MORS

Sacerdotis terribilior.

STatutum est omnibus hominibus, proindeq; omnibus Sacerdotibus semel mori. Inquit Apost. *ad Hebr.* 9. In hoc enim naturæ debito, erit sicut populus sic Sacerdos. *Isai.* 24 Mors, inquit Philosophus, omnium rerum est horribilis, sed Sacerdotum horribilior. Moriendum igitur Sacerdoti est, qualiscunque sit. Mortis in eum sententia prolata est. sed quo tempore? Quâ horâ? serò, an mediâ nocte? an galli cantu? an mane? *Marci*

c. 13. non constat. Nihil certius *Mortē*, nihil incertius eius hora, inquit *Origenes in Lib: 6. numer* Pœna certa est, hora incerta, moriendum tamen est, idque semel tantum, si pluries, si bis, quod una vice deesset, suppleretur alterâ, sed statutum est, semel mori. Alia DEI statuta violant multi; & fortè tu quoque aliquod ex iis violâsti; sed hoc implere debebis, cùm ille volet. Interim ex illo Mortis momento, salutis vel damnationis pendet æternitas.

S. Augustinus Serm. 102. *de temp.* Solertèr observabat vocabulum hoc *Mors*, suum ethymon à Morsu derivare: à primo etenim Protoparentis nostri morsu, Mors in orbem intravit, ac propterea inquit: *Mors à Morsu nomen accepit.* Sed eheu! hic morsus amarissimus, quo arctissimum corporis & animæ vinculum, adeò violentè disrumpitur, ut Rex ille Agag, inter extremam hanc luctam vociferari auditus

ditus sit: *Siccinè separat amara Mors.* 1. *Regum.* 15.

Petrus Blesensis, serm: 3. *de S. Nicolao* introducens Ecclesiam DEI, filios suos ne mortem timerent, exhortantem, introducit pariter & filios eidem hisce verbis respondentem. Quid est: quid dicis Mater? Nemo carnem suam odio habuit; etiam Christus horruit mori, Petrus ductus est ad Crucem nolens, Apostolus optat, si fieri posset supervestiri non spoliari. Quid ergo faciet Virgula campi, ubi concutitur Cedrus Libáni! Omnino opus Mortis horrendum divortium. *Teste S. Bernardo serm:* 26. *in Cant;*

Hinc S. Gregorius Lib. 24. *Moral,* c. 17. *ait:* Sæpè crescit pavor mortis in electis vicina retributione justitiæ, & urgente solutione carnis, quantò magis districtum Iudicium, jam jamque quasi tangitur, tantò vehementiùs formidatur. Etsi ea quæ sciunt, nunquam prætermisisse meminerunt, formi-

midant tamen illa, quæ nesciunt; quia videlicet semetipsos dijudicare, & comprehendere omninò non possunt, atque urgente exitu subtiliori terrentur metu.

Isaiæ 38. Dum Ezechiæ Regi Propheta jam adesse mortem nuntiaret, ad dispositionemque Domûs suæ exhortaretur dicens: *Dispone domui tuæ, quia morieris & non vives.* Expavit, & totus confusus, convertit faciem suam ad parietem. & flevit Ezechias fletu magno. Hîc S. *Hieronymus* sistit, ac pedem suæ contemplationis firmans, sic ait: Certè justus erat Ezechias & corde perfecto. Iturus erat ad Dominum plorare non debuit, acsi diceret: Miror causam mæroris ac fletûs sanctissimi huius Regis; DEVS ipsum per Prophetam ad nuptias æternæ invitat gloriæ, attamen plangit & flet. sed quæ causa tanti mæroris? respondet Sanctus Doctor: Quæris rationem fletuum? Si cogitaveris homi-

nem

nem non miraberis causam doloris. Sanctus erat Ezechiel Rex, opera eius Sancta, vita eius sine macula, coram omni erat populo, sed hæc opera hominis, non Angeli erant, fragilitati humanæ subjecta; poterant esse maculata ex intentione, vel alio fine non ita recto patrata, ideò timet cognoscens se miserum & peccatis subjectum. Quòd si Ezechias inquantum homo & Rex adeò timuit mori, & Sacerdoti qui vitâ Angelus esse debet, mors non erit terribilior? O quàm funesta! quàm horrenda mors eorum, qui in Ecclesiasticis ordinibus vel muneribus constituti, infideliter vel perfunctoriè se gesserunt; qui neglecto DEI cultu, & Ecclesiæ obsequio, vitiis se immerserunt, cupiditatibus obsequuti sunt, & carnis curam fecerunt in desideriis. Venient tunc in cogitatione peccatorum suorum timidi, & traducent illos ex adverso iniquitates ipsorum, & erunt decidentes sine honore, & in contumē-

tumelia inter mortuos in perpetuum. Sap. 4.

At quæ tunc angustia, quis animi cruciatu, quis terror miserum Sacerdotem invadet? cùm & præteritæ vitæ tam inutiliter, tam culpabiliter impensæ recordatur, & mortis instantis acerbos dolores persentit, & proximæ futuri judicii exitum perhorrescit, Nam *ut ait D. August. Tract.* 38. *in Joan.* Sæpissimè antequam agat pœnitentiam, justo DEI judicio in peccato moritur, ut mors sit vitæ sceleratæ consentanea, Dominus enim (*inquit Oleaster in c.* 23. *num.*) non consuevit dare mortem justorum, nisi justis; sicut neque mortem impiorum, nisi impiis.

Sanctus Bonaventura similitudini insistens eversionis Hierosolymitanæ, ait: Dæmones animas circumdant in mundo, coangustant in extremo, prosternunt in Inferno. Circumdant in tentatione, coangustant in expiratione. prosternunt in damnatione. *Dominica*

nica 9. post Pentecost. Sub hoc inimico (*inquit S. Damian. ser. de S. Martino*) casus frequens & respiratio difficilis; de hoc rara, & nunquám secura victoria; huic voluntas semper iniqua, & fallendi principatus. Ideò sanctissimi etiã viri in horâ mortis illũ timuerunt.

D. Bernardus Morti jam vicinus, *Scribit ad Hugonem Bonæ Vallis Episc.* 310. Orate Salvatorem ut tempestivum exitum non differat, sed custodiat. Curate munire votis, calcaneum nudum meritis, ut is qui insidiatur invenire non possit, ubi figat dentem, & vulnus infligat.

Sanctus Eligius Noviomensis Antistes Sanctissimus, in extremis positus sic oravit: Aperi mihi properanti januam vitæ, & Princeps tenebrarum non occurrat mihi, nec conturbent me potestates huius àëris, sed clemens dextera tua protegat me, & potentia tua defendat me, *Surius Tom. 5.*

B. Philippus Benitius Fundator

Religio

Religionis Servorum B. MARIÆ Virg. legitur in agone mortis suæ, terribilem quandam habuisse visionem, in qua sibi se coram tribunal DEI præsentari videbatur, ubi Dæmon leves defectus nonnullos ei improperabat, ut eum ad desperationem induceret. *Vita eius,*

Joannes Thaulerus Notæ perfectionis homo, morti vicinus, cæpit gestus terribiles ac paventes edere, impatienter luctari, fremere, ac velle fugere, nec posse; hûc illuc manus jactare, oculos fædùm intorquere, aspectu esse formidabili: ut vitæ ejus historia scribit. Quidam verò amicus hoc spectaculo perterritus in longinquam se contulit Regionem, tertia autem itineris sui nocte, audivit vocem: *Ne metue; ego sum amicus tuus, ante triduum mortuus; ex qua Thaulerum agnoscens, interrogavit ubi esset?* Cui Thaulerus: *Jta Judex in me fieri decrevit, ut ad Beatitudinem tantò expeditiùs transirem, quantò in morte*

diffi-

difficiliùs pugnarem. Et reverà in eas me angustias cacodæmones adduxerunt, tam subtilibus ac prævalidis fallaciis impugnârunt, ut mihi viderer desperationi proximus.

Platus lib. 1. *c.* 31. Scribit de Cunone, qui cùm quadraginta annis in seculo. secularibus planè moribus vixisset, religiosam deinde disciplinam secutus, triennio post piè defunctus est Quo tempore narravit dæmon, qui energumenam obsidebat, se, & alios ex suis ád quinque millia in morientis Cellam convenisse; sed repulsi, ut ajebat, clamoribus validis tonsuratorum, *Religiosos appellabat*, adjecitque insignem sibi à DEO injuriam factám: quod cûm Cuno annis 40. ipsis dæmonibus, DEO autem tribus duntaxat servîsset. hanc tamen prædam suis unguibus ereptam, in Cœlum evolasse.

Quin etiam, quod mirabile videri possit de calcatrice serpentis infernalis Beatissima DEI Genitrice, refert *Vincen-*

centius Belluacensis lib. 7. c. 79. spect. bist. ante ipsum alii complures eam Filium rogâsse, ne videret in transitu suo ex hac vita malos Spiritus; & prout petierat impetrâsse.

Quòd si tot Sanctissimæ personæ hunc extremum dæmonis conflictum usque adeò exhorruerunt, quid nobis miseris statuendum erit, quorum tota vita peccatum frequens rara pænitentia, exilis justitia est. Obstupesce super cæcitate tot infelicium Sacerdotum, qui de istis nunquam cogitant; vide ne de illorum numero sis, cùmq; statutum sit semel mori; neq; possis corrigere errorem semel malè moriendo commissum; disce bonæ mortis industriam variam, à variis, disce etiam ab illis, qui malè obierunt supremum diem.

Joannes Baptista Scortiá, lib. 8. c. 2. de Missa, meminit impuri cuiusdam Sacerdotis, qui à Bonæ Vallis Religiosis in familiari sermone sæpè ad-

moni-

monitus, nihilo tamen melior, in morbum tandem incidit. Agone imminente, succurrere ajebat ad Cœnobii Priorem, ut vocant, succurre! deprecare citò Dominum, ut eripiar his leonibus hiante ore ac rictu in me irruentibus. Oravit Pater: impurus ille liberatus est; neque tamen resipuit. Nempè qui ad extrema differunt pœnitentiam, tum fiunt duriores. Vix elapso horæ spatio (quod certe ad pænitentiam illi concesserat, bonus Deus) alia omnia, & nihil minus, quàm de resipiscendo cogitans, iterùm repentè in has voces erupit: Festina, adjuva, ora si fortè ab hoc etiam igne; qui de cælo torrens inundans descendit, ut me comburat, eripi valeam. Et neque tunc de animæ salute ulla cogitatio. Tum ab alto quodam silentio sibi redditus ac ejulans, ha! ha! ajebat. Ad judicium æternum raptus sum! & heu! æterna morte damnatus sum; traditusque horrendis terroribus igne inextin-
gui-

guibili perpetuo cruciandus. Ecce ignita sartago, quam ad me frigendum succendunt. Cessa jam, cessa orare pro me, nullatenùs exaudiendus. Patri, vitam illi, adeoóq; pœnitentiæ locum adhuc esse dicenti, & dolorem inculcanti: Tu, ait ille infelix, tu putas me insanire. Non insanio, non. Et dum hæc loqueretur, inquit Author, gutta illius ignei humoris de sartagine exiliens in manum ejus, vidente priore cutem & carnem usque ad interiora ossis consumpsit. Impurus verò æger, acri cum gemitu: En inquit indubia rei probatio! & reflexâ cervice, animam tradidit Spiritibus condemnatis. Mors peccatorum pessima! Si gutta Inferni talis est, quid est Oceanus! Disce hîc etiam castitati tuæ providere, Mortis pulvere meditato.

In Revelationibus S. *Brigittæ* de libidinoso quodam Sacerdote refertur, quòd cûm sæpiùs, sed incassum ad se emendandum monitus fuisset; acciderit,

rit, ut cùm die quadam ad pascendum equum in pratum suum concessisset, plura cælitùs dilapsa fuerint fulmina, quæ ei percusso subitam intulerunt mortem. & quidem ut manifestum fieret supplicium, hoc ei in suæ impudicitiæ & libidinis pænam accidisse; toto corpore ab ignibus illæsò manente, solæ arserunt & consumptæ sunt partes genitales. Lib: 2. c. 2.

S. Petrus Damiani Lib. 5. Epist. 16. de Clerico dicto Zenzolino scribit, qui dum urbs flagraret incendio, in una domo cum pellice sua repertus utrique simul igne consumpti.

Cuylecius Episcopus Buremund. in Speculo concubinarum scribit de Parocho quodam gulæ & concubinatui dedito, qui cùm moneretur, vt resipisceret, respondebat se de salute securum esse, nec habere opus, nisi quinque verbis: *DEUS propitius esto mihi peccatori.* Sed vanam fuisse spem, exitus probavit. Cùm enim quadam vicè

ce è popina temulentus domum rediret, dæmonem in hirci specie in itinere obvium habuit, quem cùm verbis & attactu mulceret, iratus hircus irruit in eum & inguinarias partes cornibus petens, lethalem ictũ inflixit. quo vulnere in terrâm concidit, amissi mentis usu. Ad spectaculum inter multos accurrentes, fœmina muta non sine miraculo Pastorem allocuta: *Eloquere nunc quinque illa verba, quibus salutem tuam securam dicebas?* Ille verò statim è vivis est sublatus.

Joannes Dominicus Ottonellus, in libro, nonnulla monita circa periculosam conversationem continente, scribit anno 1628. Parochum quendam fuisse, qui cùm constanter concubinam aluisset, tandem gravi & periculoso morbo oppressus est, ad quem cùm Notarius vocatus ad testamentum faciendum hortatus fuisset, nihil aliud, quam has voces: *Ah! Ista meretrices!* expressit. Vnde cùm, re infectâ abiisset,

ſet, iterum ſequenti manè ejus concubina ad ipſum venit, eique cum inſolito tremore narravit, ſe à Parocho iſto paulò ante mortem vocatam, & tres ſellas proximè ad lecti ſpondam collocare juſſam eſſe, quo facto, cùm ipſa nonnihil ad latus ſeceſſiſſet, ipſum cùm aliis, quos tamen illa non viderat, collocutum, poſtea ad ipſam accedentem dixiſſe: *ibimus*; illaque reſpondente, in villam ibimus, ſi valetudinem recuperaverimus, iterum ſubjeciſſe; *Ibimus non ad villam, sed ad Infernum*; Et ſcias mecum tres ex Orco, dæmones hîc conſediſſe, qui decretoriam damnationis ſententiam denuntiârunt; quibus verbis cùm turbata exiviſſet, paulò poſt audita horrendâ vociferatione, rediiſſe in cubiculum, & Parochum mortuum inveniſſe, ſulphureum fœtorem tam gravem exhalaſſe, ut penè exanimis fuerit proſtrata.

Cracovienſis quidam Prælatus Nobiliſſimo ex genere oriundus, cùm ad

arcem

arcem quandam profectus, post cœnam opipare sumptam remotis mensis, omnes præter concubinam, eum qua multis annis libidinem suam expleverat, ex conclavi exivisse jussisset, inchoato noctis primo silentio, concubina ad satisfaciendum naturæ egressa; à nonnullis viris tetris, nigris, proceris, & flammas vomentibus, cubiculum ingressis, tam crudeliter interemptus est, ut famuli qui ianuam nullâ vi referare poterant, tandem per fenestram ascendentes, eundem diû frustra quæsitum, tandem sub lecto instar globi convolutum, ex toto sanguinolentum, nigrum, informem, & abominandum, omnia ossa confracta, humumque, lectum, & parietes, recenti cruore madidos, & fœdatos repererint. *Idem ex revelatione Polon. 1641. facta.*

Joannes Kokfort, Bessoviensis Parothus, poculis plùs æquo addictus, cùm die quadâm, cum Nobilibus duobus & propinquis à potu tumulentus

redi-

rediret, arripiens lagenam vino plenam, Nobilem provocat, ut uno haustu illam ambo evacuerent; recusante verò altero, ego, inquit, sum: Sacerdos & Pastor, tu verò Nobilis & secularis, non audebis mihi de tantillo potu respondere? Nobilis ergo irritatus. age, inquit, & ebibe priùs, ego sequar, Dum ergo lagenam fermè evacuavit *Sacerdos*, retrorsùm cecidit, quasi mortuus, & statim in lectum delatus, crepuit medius, ac die sequenti extinctus est. *Oliverius in relat.*

Anno 1550, *Magnus* pro pulpitis & Cathedris, tum Theologus, tum Ecclesiastes, adit occasionem obscœnam, laxavit fræna carnis licentiæ: & sceleri proximus, viso horrendo Molosso, perpavefactus quidem est, tamen contempto monstro, in lubricum scelus ruit. Sed spectrum illud ipso prostibulo id spectante, sceleratum illum è fœdis reæ fœminæ amplexibus avulsum, atque abreptum mordicùs, & morsu, & un-

gve humi prosternit? tantò quantò potest dentium ac pedum nisu. in supinum dejecti pectus grassatur, perfodit, scrutatur, dilacerat, ipsumq; cor sede sua avulsum, ac divulsum, in partes, devorat. Vidit hæc tremens scortum cadaveris lacerati, & similia expectabat. Sed lupam illam tragediæ nuntiam voluit DEVS sic resipisceret. Ergo manè anhela ad Sacramentum Pœnitentiæ advolat; rem enarrat. Adiit locum, is, qui sceleratum sæpè, sed nullo exitu monuerat è cœnobio Sacerdos; & funestissimum Divinæ vindictæ theatrum vidit? hominem agnovit: pectus horridè sine corde hians introspexit. *Hauttnus de Eucharist. Num.* 492.

Ex Antistitis in Gallobelgica hæc narrantis ore constat, id quod ante annos non multos contigit, & est: Sacerdos in pago, seu curio, ancillæ turpiter familiaris paulò postquam illa sacrilegio peperisset, Sacramentis ex-

piatus

piatus obierat diem. Adhuc in lecto erat cadaver, cùm adrepens horrendus bufo, super eius cor insedit, cum timore adstantium. Compertum est, quòd post obitum, ab eo pœnitentiæ Sacramentum, ancilla spurium ad eum uttulerit. Cor obscænum Dæmonum bufonum, deliciæ. Idem ibid.

Joannes Persyn, Religiosi Ordinis desertor, fertur: Anno 1616. Duaci repertus in suo cubiculo trucidatus, & extractum cor è visceribus manu tenens. *Pater Nadasi.*

Sancto Elphego Cantuariæ Archiepiscopo spectante, unum quempiam, quem in ascetorio habebat, hominem corporis & gulæ commodis apprimè addictum, tres dæmones noctu, taureis & ignitis serpentibus cecidere, ac illi misericordiam imploranti, respondêre: *Non cessamus, non obedimus tibi, quia non obedivisti Deo tuo.* Ita illi inter flagra, tristissimam animam extorsere. *In vita ejus 19. Aprilis.*

Moriebatur in Anglia vir opinione suâ quidem religiosus, at linguâ non item, adeòque cujus vana fuerat religio. Audax in mores aliorum acerbiùs, nec leviter perstringendos, famamque traducendam illi erat lingva & licenter dicax. Monebatur, ut vitâ præteritâ expiatâ, futuræ vitæ per exomologesim consuleret: sed ille sine aliis ambigabibus desperanter? *Non faciam*, inquit: Vrgebant illi; eccur id nollet, quot in æternitatis limine jacenti, adeò è re fore sat sciret. *Quia non possum*, ait æger. Adhibebantur apta supremo illi tempori argumenta, at ille ad exertam horrendùm linguam, digito pulsans: *Ista*, inquit, *lingva pessima me damnavit*, dixit: & intumescente adeò, ut redire in os non posset, reâ linguâ infelix jacuit, & funestam animam ejecit; linguâ post mortem etiam extra os exporrectâ, & terrum in modum tumidâ relictâ. *Kaarkaus Dominic*: 2, *Advent*, *num*. 21. è *Veter. Auther.*

B. Bo-

D. Bonaventura Præcept. 5. refert Idiotam Eremitam illusum à dæmone, qui ei svasit, ut illud peccatum eorum, in quorum manibus iniquitates sunt, peccatum Onan morte repentinâ percussi *Gen, 38.* (quo inquinatos, molles appellat Apostolus) non putaret esse peccatum. Persvasit, & ille in vitio illo vivebat sordidus; ac in eo volutabatur ut porcus, licèt asperam vitam duceret. Morientis animam rapuit idem consultor dæmon. Miratus est alius Erimit: hominem vitæ adeò austeræ fuisse damnatum; Sed respondit Angelus; eum ob voluntariam illam, ac DEO detestatam fæditatem fuisse damnatum.

Nebridius Canonicus Regularis S. August. in suo Antiquinario Epist. 86. scribit. De Francisco Burgundo ex ordine Capuccinorum, cuius desperatæ mortis plures fuêre Mauriani in Sabaudiæ Cænobii Religiosi spectatores. Ajebat is in morte, se Superioris mu-

mus ambivisse, atque ad illud per hypocrisim adrepsisse; Vt variâ poscpitum occasione, lautiùs gulam suam haberet Idcircò ajebat vitam suam omnem fuisse ambitionem, gulam, hypocrisim: se fuisse Iudam, esse damnatum. Deflebat suos bolos, & honores: & abjectis è manica cereo Agno DEI, Rosario, ac regulis ad singula exclamavit: *Damnatus sum! in æternum! in æternum!* Et adhuc altiùs gemens, ejulans, exclamans dixit: *O in æternum!* Et infelici morte horrendam æternitatis suæ domum ingressus est, mox extinctus.

In Flandria tres impuri ganeones, cùm scortis suis altum stertentes, sub noctem effractis portis, viderunt Cacodæmonem habitu venatorio intrantem, & cum eo duos parvos cocos; Vnus eorum lecto extractus, veru infigitur, & luculento igne extructo, spectantibus sociis probè assatur, & ne visum inanem putés, manè collegam suum repetêre omninò assatum, Icio locum

locum & ordinem, *inquit Delrius Disquisit. Magic. Lib. 3. qu. 7. sec. 7.* Sed utrumque silentio involvo.

S. Bonaventura in Vita S. Francisci cap. 12. De Canonico quodam commemorat luxurioso, qui infirmus sanitati à S. Francisco restitutus & monitus, nê ad vomitum rediret: ille verò monitorem contemnens, & iterum peccans, cùm in ædibus cujusdam Canonic, cœnaret, de repentè totâ domûs structurâ corruente, solus è convivis eâ ruina tactus, oppressus, & sepultus est.

Fuit & alter Canonicus juvenis, qui in juventute, à Magistro quodam suo peccatum mollitiei edoctus, quondam post cœnam cum consanguineis sumptam, in lectum concessit, paulò post horrendum clamare & auxilium implorare incipiens, cùm ad confessionem à vocato Decano, & aliis Canonicis excitaretur, terribilibus oculis, Decanum aspexit, dixitque: *Væ! Væ illi! qui seduxit me! ad quid Divi-*

num adjutorium invocabo! Ecce jam video patulum infernum; præsentes Dæmones, ad rapiendum me avidè inhiantes, Et clausis oculis ab iis, qui meliora svadebant, faciem avertit; cum duris clamoribus animam exhalavit. *Ita Cantipratanus scribit Lib: 2; Apum c.* 30.

Idem Author Lib. 1. c 15. & sequenti, aliquot exempla refert his verbis: Vidi ego, inquit, in Ecclesia Parisiensi quatuor Archidiaconos sic defungi. Primus eorum de equo phaleрato cecidit, & fractâ cervice expiravit. *Secundus?* manè in Cathedra sedens mortuus est repertus. *Tertius* in Choro stans, cùm ad Missam elevatio SS. Corporis Christi fieret, cecidit resupinus, & subtractâ loquelâ cum sensu, quasi brutum animal, tertiâ die sine Sacramentis defunctus est. *Quartus* Confessionem Sacramentaq; recusans, mortuus est, & extra Cæmeterium sepultus.

Non

Non omnino improbatæ vitæ erat quidam Pappulus *teste Gregorio Turonensi Hist. Franc. Lib. 5. c. 5.* quem Successorem acceperat. B. *Tetricus Episcopus Lingonensis*: Cæterùm cum degeneraret à Majoribus suis, & anteactâ vivendi formâ, deletus est de libro vitæ, neque sine prodigio; Anno enim octavo Episcopatûs sui, cùm Diœceses & villas Ecclesiæ circumiret, quadam nocte dormienti illi apparuit *B. Tetricus vultu* minaci, cui ita: *Quid* tu, inquit, *hic Pappule! ut quid sedem meam polluis? ut quid Ecclesiam pervadis? ut quid oves mihi creditas dispergis? Cede loco, relinque sedem, abscede longiùs à Regione.* Et hæc dicens, Virgam quam habebat in manu, pectori ejus cum ictu valido impulit. In quo ille evigilans, dum cogitat quid hoc esset, fixè in loco illo defigitur, ac dolore maximo cruciatur, abhorret cibum potumq;, & tertiâ die cùm sanguinem ore projiceret expirat.

Trevirensis Frontenius, in ipsa cui cum scorto suo assidebat mensa, ab Angelo interfectus est, ne Sanctum Episcopi nomen scelerato scandalo pergeret inquinare. *P. Nadasi: in Annum Angelic.*

De Zawissa Cracoviensi Episcopo in Annalibus Ecclesiasticis (Anno 1382. *apud Raynaldum legitur*, quòd dum in quadam Villa, seu prædio suo, cuidam Virgini loci illius vim inferre conaretur, & eius pudicitiam contemeraret, confestim cecidit mortuus, cùmq; cadaver illius cum solemni pompa ad Ecclesiam Cathedralem sub noctem sepeliendum deferretur, funestus eventus, sequens ibidem accidit. Ferunt enim auditos strepitus, & hinnitus equorum discurrentium, dæmonumque voces vociferantium: *Proficiscamur meretricatum.*

Apud Cerdam de excellentium Spirituum c. 27. N. 16. é Ximenio & Vasconcello refertur Angelus in

simo-

Simoniacum Colonienſem Archiepiſcopum; Cœleſtæ fulmen torſiſſe, quo ille in ſede Pontificia ipſo Conſecrationis ſuæ die ſpectantibus omnibus abſumptus conflagravit.

Ibidem .Raynerius Epiſcopus Argentinæ, vir in egenos duriſſimus, ab Angelo ſciſſus eſt medius. Alter immiſericors & crudelis Epiſcopus *Moguntinus*, *Hatto* nomine, à muribus conſumptus fuit, de quo fuſiùs poſtea dicetur.

Anno 1066. *Reginbertus Miſnenſis Epiſcopus*, dum ſuſcepto Epiſcopatu Goſlaricam veniſſet, poſt refectionem in cubiculum, ubi theſauros ſuos, quorum nimis amator erat, nullo conſcio, infoderat, quaſi paululùm requieſcere volens, ſeſe incluſit. Cùmque jam die vergente in veſperam, præter modum conſuetudinemque ſuam, ſomno indulgere videretur, rem inſolitam mirantes cubicularii, pulſare oſtium cœperunt, ſed nec pulſantibus, nec voci

feran-

ſerantibus ullum dabatur reſponſum. Tandem effractis foribus irrumpentes, invenerunt eum fractis cervicibus, colore tetro exanimem, ipſis theſauris ſuis mirabilem in modum incumbentem. *Baronius ad an* 1060.

Affine huic eſt, quod de quodam Diœceſis Cantuarienſis, ſacerdote ſcribit *Abrahamus Bzovius ad an.* 1278. Hic cùm periculosè ægrotaret, Franciſcanos aliquot fratres, quos de ſalute animæ ſuæ conſuleret, accerſivit: qui cùm properè acceſſiſſent, ille tempus extrahens; quoniam inquit de itinere fatigati eſtis, reficite paululùm ego verò paulò poſt vos evocabo. Dimiſſis interim omnibus è cubiculo, prætérquàm puerulo quodam, eundem ad ſe accerſens, aperi, ait, hanc arcam ac defer mihi argenteum diſcum, quem in ea reperies. Erat autem totus auro & argento oppletus: quem acceptum & in ſinu poſitum, fixo continuatoque obtutu, magnaque cum voluptate intuens

tuens, acceptos nummos in os demit-tere cœpit. Ibi puer motum mente existimans Sacerdotem, citato cursu, è solario, alios famulos advocaturus descendit: qui cùm in continenti advenissent, repererunt hominem jam mortuum, cadaverque illius prorsùs nudum, humi projectum, nummisq; quasi undequaque contectum; quod spectaculum ingentem terrorem omnibus spectantibus incussit, & ad detestationem avaritiæ induxit. *Quam verè dixit S. August.* Non potest benè mori, qui malè vixerit, & vix benè moritur, qui malè vixit.

Per mortem enim quæ est porta æternitatis, ibit homo & quilibet Sacerdos in domum æternitatis suæ, quam ipsæ sibi ædificat in vita, bonis malisvè operibus velut lapidibus. In morte DEUM amantis extinguetur ignis inferni, ut illum non possit urere vel terrere. At in morte impii accendetur perpetuus ignis inferni. *Bene-*

dictus

dictum XII. Definimus, inquit, quòd secundùm ordinationem DEI communem, animæ decedentium in peccato mortali, mox post mortem suam ad inferna descendunt, ubi pœnis infernalibus cruciantur; & quòd nihilominùs in die judicii, omnes homines ante Tribunal Christi, cum suis corporibus comparebunt, reddituri rationem.

Quocirca sanctè monet S. *Clemens Papa Concil. tom.* 1. *Ep.* 4. Vt saluti nostræ invigilemus valdè seriò ac diligenter. Potest fieri, ait ut multi temporis negligentiam, brevis & assidua reparet diligentia. Incertum namque est unuscuiusque tempus vitæ. Et ideò festinandum est ad salutem, ne fortè cunctantem Mors repentina præveniat. Probatus ille quidem est (*ait* S. *Climacus Grad*: 5.) qui mortem diebus singulis expectat: Sed ille sanè Sanctus. qui hanc horis singulis desiderat. Memoria mortis est quotidiana Mors.

S. *Augu-*

S. *Augustinus* cùm discessum è vita sibi instare intelligeret. Psalmos Davidicos, qui ad pœnitentiam pertinent in conspectu positos, profusis lachrymis legebat; solebat autem dicere: *Neminem etsi nullius sceleris sibi conscius esset, committere debere, ut sine pœnitentiâ migraret è vita.* Ergo age quod *Sanctus Isidorus de contemptu mundi*: Ingemisce quò vadis & contremisce, cor tuum quotidiè discute, & examina. Culpam ibi emenda ubi nascitur. ita vivas, ut diem agas quotidiè ultimum. *Inquit, B. Esaias Abbas.*

Continenter itaque hoc *Disce mori* quoad hîc vivimus practicemus, illudque *Richardi de Mar sco Episcopi Ducelmensis*, Epitaphium nostris obversetur animis.

Culmina qui cupi- | TIS.
Est sedata si- | TIS.
Qui populos regi- | TIS.

Quòd

Quod mors immi-
Vobis Præpoſi-
Quod ſum vos eri-
Laudes pompaſq; ſiti-
Si me penſare veli- TIS
Memores ſuper omnia ſi
Non parcit honore poti-
Similis fueram benè ſci-
Ad me currando veni-

CAPVT II.

IVDICIVM Sacerdotis strictius.

OMnes nos manifestari oportet ante Tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis prout gessit; sive bonum, sive malum, *inquit, S. Paulus 2. Cor. 5* Omnes oportet manifestari, nullus excipitur, proindeque eodem momento, quo ultimum Spiritum emisserit Sacerdo, oportet illum manifestari ante Tribunal Christi, ibiq; omnia eius etiam occultissima patefieri, discuti, in judicium adduci, audiet tremendam illam Iudicis vocem: *Redde rationem villicationis tuæ. Luca 16.* Per hunc villicum vocatum ad rationes reddendas decem millium talentorum. *Origenes*

geres Sacerdotem & quemvis Ecclesiasticum intelligit, idque ex textu *Ezechielis 9.* deducit. In quo DEUS præcipit dicens: *A Sanctuario meo incipite*, id est, à sacerdotibus. Deinde ad huius debiti immensam gravitatem descendis dicens: Qui forsitan tot talenta perdidit, quot perdidit homines, quælibet enim anima thesaurus DEI est. Redde ergo rationem Sacerdotii tui ministerii tui, talentorum tuorum. *Omnis enim cui multum datum est, multum quæretur ab eo. Luc: 12.* In quem locum *Ven: Beda ait:* Multum commendatur ei, cui cum sua salute Dominici quoque gregis pascendi, cura committitur: *Unde Titus Episcopus Bestrensis in eundem locum scribens:* hæc, inquit, clarè indicant Doctorum Pastorumque judicium, cæterorum non parum graviùs & periculosiùs fore. Heu (*ajebat Job, & Sacerdos quoque longè potiori jure dicere debet*) quid faciam, cùm surrexerit ad

iudi-

judicandum Dominus, & cùm interrogaverit, quid respondebo illi? *Job 31.* S. *Gregorius illa verba 1. Reg. 3. Puer autem Samuel ministrabat coram Domino Heli*, exponens: Ecclesiasticos monet, ut memores sint, quòd tametsi à DEO delegati judices in terra (unde Ecclesia de Apostolis canit: *Vos saeculorum judices*,) rigorosissimo tamen æterni judicis examini & judicio sint reservandi. Electus judex, subditorum judicium S. Ecclesiæ Rectoribus tribuit; sed eosdem Rectores suo examini discutiendos reservavit: Hoc autem ipsum Rectoribus valdè timendum est, quod DEI servantur examini, quia tantò subtiliores rationes vitæ & doctrinæ suæ parare debent quantò sapientior est judex, quem sustinent.

Hinc S. *Augustinus Lib.* 50. *Homi* 2. *ait.* Si diligenter attenditis fratres charissimi? omnes Sacerdotes Domini, non solùm Episcopos, sed etiam Presbyte.

sbyte.

sbyteros & Ministros Ecclesiarum in grandi periculo esse cognoscitis, si enim pro se unusquisque vix poterit rationem reddere, in die judicii, quid de Sacerdotibus futurum est, á quibus sunt omnium animæ requirendæ.

Quid de illis de quibus *Sanctus Bernardus ad Henricum Senonensem scribit*: Curritur in Clero passim ab omni ætate, & ordine à doctis pariter & indoctis ad Ecclesiarum curas, tanquam sine curis jam quisque victurus sit, cùm ad curas pervenerit.

Quid de te ô *Pastor & Idolum*! qui sciens neminem posse salvari nec absolutionis capacem, qui necessaria scitu de necessitate medii, etiamsi inculpabiliter ignoret, tamen tot Rudes tuæ curæ commissos hæc docere neglexisti, & nec ante dispositos nec instructos toties absolvisti, familiari stylo cathechizare, ad mores & captum populi prædicare Evangelium erubuisti, quasi nil ad te pertineret illud

Chri-

Christi: *Pasce Oves, pasce Agnos meos?*

Quid respondebis Miser in die Iudicii, de tot animabus, quæ tua negligentia absque Sacramentis ex hac vita migrârunt, nonne illas justus Iudex de manu tua requiret? Si reddenda est ratio de his, quæ quisque gessit in corpore suo, heu quid fiet de his, quæ quisque gessit in Corpore Christi? *S. Bernardus serm. ad Clerum.*

Locum illum *Luc.* 21. *Erunt signa in sole, & luna, & stellis. D. August. Epist.* 80. *ad Hesich. V. Beda, Primasius, aliiq; in sensu Mystico & Morali explicantes, dicunt:* Per talia signa diem judicii præcedentia, intelligendum esse Ecclesiam, ejusdemque statum, qui rigidissimè à Supremo Iudice examinabitur. Sol etenim, qui est veluti Universalis mundi Prælatus, & Luna, quæ prædominatur nocti, ex quo ambo dicuntur luminaria magna, erunt prima quasi objecta iræ & furo-

ris

ris supremi Iudicis; nam Sol convertetur in tenebras, & Luna in sanguinem, ad hoc, ut ostendat; quàm præ cæteris infelix erit status futurus illorum, qui ad instar Solis & Lunæ in hoc sæculo fuerunt exaltati, & dotati dignitatibus, prælaturis, divitiis, tantisque donis abusi fuerunt, ac propterea primi omnium, & cum majori rigore judicabuntur, quàm cæteri. *Potentes enim potenter tormenta patientur.* Sap. 6. Et omnibus prædicat his Spiritus sanctus, dicens: *Horrendè & citò apparebit vobis, quoniam judicium durissimum his, qui præsunt fiet* In quem locum scribens *Titelmanus in Allegor.* O! quam trepidi, inquit, venient Prælati ad Divinum Iudicium, quàm terribile illod Capitulum erit, quòd semel & nihil deinceps susceperit corrigendum: Neque hoc alicui fiat mirum, nam judicium & pœna, correspondere debent vitiis & peccatis. Quod declarat *Hugo Cardinalis.* Quatuor

tuor enim, inquit, sunt, quæ peccarum aggravant, & pondus eius faciunt, ut immensum crescat. Qualitas, scilicet, Frequentia, Diuturnitas, & Impœnitentia: Quæ conditiones, aut in toto, aut in parte maiori potissimum in Prælatis locum inveniunt. Vnde benè dicebat, *Altbardus de supplicio, vel mercede Præsulum.* Sicut in præsenti non sunt Præsules sicut cæteri hominum; sic non erunt ut cæteri in futuro: ut hîc non sunt in gradu aliis æquales, sic & aliis tunc erunt, aut Superiores in gloria, aut inferiores in contumelia, recepturi siquidem sunt, duplicem coronam, aut duplicem pœnam. *Dionysius Carthus. super illa verba: A Sanctuario meo incipite.* Eccl. 9. Ea hunc sensum habere dicit: Primo occidite Ministros templi, qui aliis peccati causa fuerunt, judicium nempè gravissimum his qui præsunt fiet, & quò altior gradus, eò altior casus. Quamvis autem loquatur de Præ-

lati-

latis; tamen severitas & ratio judicii etiam convenit Sacerdotibus.

Considera itaque ô Sacerdos! quàm exacta, quàm rigida futura sit illa discussio, ibi enim judicium tibi subeundum erit de omnibus factis, dictis, cogitatis: ibi omnia peccata tua etiam ea quæ videntur levissima in justitiæ Divinæ bilance expendentur: ibi non modò de propriis peccatis reddenda erit ratio, sed etiam de peccatis aliorum, quibus verbo & exemplo prodesse debebas: ibi à te inquiretur, quem usum feceris bonorum omnium naturæ & gratiæ, quæ tibi concessa sunt, ad quid impenderis corporis tui membra & organa, animæ tuæ facultates & quæcunque talenta tibi concredita; ibi judicabuntur omnes justitiæ tuæ, *Psal.* 74. id est omnes actus religionis, charitatis, & aliarum virtutum: item Orationes, officia Divina, Sacrificia oblata. ibi ad stateram Sanctuarii, expendentur omnia à te facta,

vel

vel omissa in dispensatione divinorum Mysteriorum, in administratione Sacramentorum, in prædicatione Verbi Divini. Denique cuncta DEUS adducet in judicium, & cordis tui abditissima quæque scrutabitur, in lucernis. *Heu ecce venit, & quis poterit cogitare diem adventus ejus? & quis stabit ad videndum eum? ipse enim quasi ignis conflans.* Malach. 3.

Quapropter *D. Augustinus in Enchirid. monet:* Fratres, inquit, pertimescite diem judicii, quoniam in die superiùs erit Iudex iratus, inferiùs Chaos horrendum, à dextris peccata accusantia, à sinistris infinita dæmonia, interiùs conscientia urgens, exteriùs mundus exardens, & quò fugies ô peccator! latere non erit possibile, apparere intolerabile, quid ergo facies ô miser! tu te statues contra faciem tuam, tu te facies esse testem, teque judicium tui, tu clamabis adversum te, tuque proferes sententiam tuam contra

te, & quid dices ô miser?

David vir secundùm cor Dei, qui adimplevit omnes voluntates eius, timens ac tremens loquitur: *Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Non intres in judicium cum servo tuo.* Psalm. 142. Nec immeritò, inquit, S. *Gregorius lib.* 24. *Moral. c.* 7. Cujuslibet anima terretur, quando post pusillum hoc invenit, quod æternum mutare non possit. Quis enim vitam nostrûm præcedentium Patrum valeat vel superare vel assequi? & tamen David dicit: *Ne intres in judicium cum servo tuo: quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Quid ergo facient tabulæ, si tremunt columnæ? aut quomodo virgulta immobilia stabunt, si huius pavoris turbine etiam cedri quatiuntur?

Talis Columna, talis Cedrus, fuit *Sanctus Hieronymus*, & tamen de se testatur: quoties diem illum considero, toto corpore contremisco: sive enim

com-

comedo, sive bibo, sive aliud quid facio, semper mihi videtur terribilis illa tuba in auribus meis insonare: *Surgite mortui, venite ad judicium.* In c. 25. Matt.

Talis Columna Magnus *Augustinus*, ejus tamen hæ doloris & tremoris plenæ voces sunt: Væ mihi misero cùm veniet dies judicii, & aperti fuerint libri conscientiarum, cùm dicetur de me: *Ecce homo, & opera ejus. Medit. cap.* 39.

Prodigium sanctitatis *D. Bernardum audiamus.* Væ mihi misero, inquit, cùm venerit dies illa judicii, & aperti fuerint libri, in quibus omnes mei actus, & cogitationes Domino præsentandæ recitabuntur. Tunc demisso capite, præ confusione malæ conscientiæ in Iudicio coram Domino stabo, trepidus & anxius, utpotè commemorans scelerum commissa meorũ; cùm subductis è medio omnibus hoc inveniet, quod in perpetuum muta-

ri non poterit. *Medit. c.* 2.

De S. Cypriano Martyre legitur, quòd dum iret ad locum supplicii, & Lictor jam esset eundem securi percussurus, summoperè timuerit Iudicium Divinum, quare dicebat: Væ mihi, cùm venerit judicium tuum? cui monti dicam: cade super me, & cui colli, operi me! Et tamen mortem hanc patiebatur propter amorem Christi, eratque quasi securus de cælesti beatitudine.

B. Laurentius Justinianus, qui (uti legitur in vita ejus) continuò ferè lachrymabatur, magnoque DEI pollebat spiritu, discurrendo cum suis amicis dicere solebat: *Quid agam fratres, quid agam, cùm ad Judicem ducar?*

S. *Hubertus ad extrema deductus dicebat*: Mihi non mediocris est angor, reminiscenti, quanta perfectio debeat esse ministerii mihi injuncti; & è contra quàm contemptibilis vitæ meæ inofficiosa correctio. Ecce Iudicium mihi

iam

jam considero à nuptiis reditum, cùm mihi desint lampades bonorum operum perfectione repletæ, & charitatis luce irradiatæ, quibus eius valeam occurrere adventui: En rationem positurus de talentis redit, mihique timeo dici, quod servus negligens audivit? *Redde rationem Villicationis tuæ*; Serve piger nonnè oportuit te, pecuniam meam committere nummulariis, ut ego veniens cum usuris recepissem eam? Gregis mei te posui Pastorem, & lactis eorum ubertate famem, lanarumque tegmine repellere consvevisti algorem. Ergò necesse est eorum præsentes salvationem, quorum te præposui Præsulem. *Surius in vita eius.*

S. Ceadda Martiorum in Anglia Episcopus, (teste Ven. Beda lib. 4. Hist. Anglic: c. 4,) quoties tonaret, aut fulguraret, aut vehementior procella ingrueret, in terram sese prosternebat; & horrorem Divini Iudicii, & formidandæ illius sententiæ damnatorum

Ite Maledicti; pensitabat.

S. Attala Abbas, centum quadraginta ante mortem diebus, ut morti se accingeret à DEO monitus, in Crucis amplexu de tremendo DEI judicio anxius tremensque ac lachrymando singultiens, atque veniam pro peccatis petens; cælos patentes videbat, ingressusque est. *P. Nadasi.*

B. Agathon, cùm tunc etiam trepidaret, & rogarent discipuli causam: cùm scirent eum sanctè vixisse: *Quia*, inquit, *ô Filij, alia sunt DEI, alia hominum judicia!*

Arsenius, tanto timore correptus fuit, ut Discipuli testes sanctitatis ejus dicerent: *Et tu Pater trepidus?* At ille: *Non est novus hic timor, ô filij! quàmdiu vixi, hunc diem timui.*

Elias Abbas solebat dicere: Tria semper cum timore cogito. Egressum animæ de corpore, occursum ad DEUM, & Sententiam Iudicis. *in vitis P.*

Sophronius memorat Abbatem Georgi;

orgium teporem mortalium deplorantem; & mortis, ac extremi judicii memorem ad nostram socordiam excutiendam. Væ nobis (*inquiebat flens Georgius:*) Væ qui nullam habemus compunctionem, sed in negligentia vivimus; cùm ira DEI comprehendat nos, & in trutinasimus, ut judicemur. *Prat. Spirit. c. 50.*

B. Albertus Magnus, affert illam S. Hieronymi tubam ita clangentem: *Quoties diem judicij cogito, toto corpore contremisco.* Tum exclamat B. Albertus: *Quid igitur nos miseri acturi sumus, ubi tanti viri trepidant!*

Nebridius meminit, ad Iosephum de Leonissa Capuccinum, ingressum esse quempiam defunctum è fratribus; ac ducto alto suspirio dixisse: O Ioseph! si quàm severa omnium quæ fiunt, à DEO in morte ratio exigatur tibi perspectum foret? *Et* iterum cum suspirio altiore: O Ioseph! si quàm

difficilis ad ſalutem ſit aditus planè intelligeres, & ſermone non expleto evanuit. *In Antiquario Epiſt.* 117.

Refert Cantipratanus Lib: Apum: cap. 2. *par.* 2. Quidam Sacerdos per multos annos, malè regebat ſibi ſubditos, nec reſpondebat vocationi ſuæ; tandem morbo correptus decubuit, & apparuit ei S. Petrus ſevero & minaci vultu, exhibens libellum, in quo erat ſcriptum illud Ezechiel. 34. *Mortificas animas, quæ non moriuntur, & vivificas, quæ non vivunt.* Cogebat autem eum legere, ipſe verò & hærebat, & horrebat, & à tam duro decreto averſabatur conſpectum; ſed cùm Apoſtoli præcepto cogitur, legere Gloſſam, quæ in margine ſic habebat. *Quando reduces animas de inferno, quas tuo deſtitutas exemplo, æterno demerſiſti ſupplicio?* Cùm præ horrore reſpondere non poſſet diſparet viſio, tandem conſilio Viri cujuſdam Sancti diſſolvit vincula omnia, & ſæculo valedicens,

in

in Monasterio S. Bernardi piè finivit.

Parisiis in Cœnobiis S. Francisci Assisiatis, Religiosus Tyro in lethali morbo, ad extrema perductus est, cùmque jam mortis lucta instaret, æger horrendum inclamans: *Me miserum* inquit, *quantò satiùs fuisset nunquàm nasci quàm ita mori*, pauló post: *Libram obsecro*, inquit, *fideliter tracta.* Mox & illud adjunxit. *Appone aliquid de Domini JESU tormentis & cruciatibus.* Somnia hæc & ægrotantis deliria videbantur, sed ubi ad sè rediit, retulit, quàm exactas DEUS rationes posceret de occultis etiam cogitationibus, de otiosis verbis, deq; minutissimis quibusvis noxis. *Chronica S. Francisci par. 3. l. 4. c. 53.*

Infelicior erat Religiosus ille in Ordine sancto non sanctus, anno 1612 desperanter decedens, uti refert de *Boverio Nebridius Canonicus Regular. S. August. Ep. 117.* Hic ut in vita nomen sibi conciliaret inter suos, maxi-

mè superiores, multam probitatem simulavit. Vacabat nocturnis precibus sic, ut ad Matutinum etiam lassus, à via surgeret, cùm esset illi licentia dormiendi. Quibus de causis, non semel ad dignitatem & officia pervenit, ad quæ intùs unicè aspirabat. Æger, monitu suorum quasi sacrâ confessione mentem expiaturus, Patrem sibi præ aliis familiarem accersivit, & dixit: *Cùm de salute mea sit actum nolo confiteri; obsecro te tamen, ut fratribus interrogantibus dicas me esse confessum.* Cui Pater; Quid ita? an times mihi aperire conscientiam? & ægrotus: *Quid opus est confiteri, cùm de salute mea actum sit animæ.* Ad quod Pater multis eum hortari: ut spem poneret in DEVM, clementem, benignum, & misericordem: fontem gratiæ fluere omni viventi, & alia. Sed æger ad omnia surdus & induratus: *Frustra*, ait, *justo DEI judicio condemnatus sum. Etenim tot eam an-*

nis,

nis, internis deditus vitijs, inanem gessi speciem probitatis. Nec unquam verè confessus sum, hanc iram DEI in me concimui, sic, ut nec possim confiteri, nec si confiterer acceptum DEO esset. (Hem delirum errorem) simulque linguam morsu in frustra dissecuit, horrendumque clamavit: *O lingua maledicta, cui semper grave erat aperire mea crimina, justam proinde nunc DEI vindictam experire dissecta in partes.* Quibus dictis frustula linguæ cum sanguine exspuit, atque inter absonos clamores animam ejecit.

Arnoldus Cathius è Societ. JESU Româ in Belgium redux, scripto testatum reliquit, ex fide digna relatione habuisse se, in Italia juvenes duos aliquando nomen Societati dedisse; quorum unus in vocatione persistit, alter sæculum ejusq; mores ac scelera repetiit. Morbo hic tandem lethali corripitur, cùm fortè urbe egresso

sacer-

Sacerdoti, eidem illi qui ægro vocationis frater fuerat socius, acclamat muliercula, ut in domum suam descendat, priusquàm moriatur filius ejus. Accurrit ad Misericordiæ opus lubenti animo Pater, hominem reperit febri gravissimâ correptum, agnoscit socium fuisse vocationis suæ. Optat ut sit & felicitatis æternæ, eum solatur ac hortatur vice non unâ, ut sacrâ confessione animam expiet, sed frustra. Tandem ad ægri lectum moram longiorem trahens, ut illum ad saniorem mentem reduceret, & in somnum incidens, Christum videt hiantibus vulneribus advenientem, ægrumq́; commonentem ut animæ suæ consulat saluti; avertit miser vultum, atquè aures obturat Salvatori; qui indignabundus, plenâ manu sanguinem suum in obdurati hominis faciem conjecit, eâ comminatione; ut quem in animæ eius salutem fuderat, is illi in æternam damnationem cederet. Abiit Dominus; experrgisci-

giscitur Sacerdos, & miserum totum cruentum ac vita functum reperit. *De Wael in Corona vulner.*

Dum S. Bruno Parisiis Theologicis studiis operam dabat, jamque Rhemensis Ecclesiæ Canonicus esset factus, eò temporis è vita excessit Doctor Parisiensis, Princeps inter literatos, quique virtutis existimationem maximam post se reliquit. Sed eheu quantum aberratis mali judices hominum oculi! Dum huic de more solennes in Ecclesia fiunt exequiæ, in magna populi, Doctorum & Nobilium corona ad illam in Officio defunctorum canentis, vocem: *Responde mihi*: Ecce ibi è capulo, caput erigit defunctus, & cum gemitu inquit: *Justo DEI judicio accusatus sum*: Mox postridie ad eandem vocem: *Responde mihi. Justo (exclamat) DEI judicio judicatus sum.* Demùm tertio die, tertium è feretro fulmen auditur: *Justo DEI judicio condemnatus sum.* Quis putas tum audi-

audientium fuerit sensus defuncti hujus, & in hominum oculis exactam vitam, & Dei cor scrutantis sententiam perpendentium. Certè hæc plûs quàm tragica catastrophê omnes movit, sed Brunonem maximè? Nam â tempore illo, non modô hanc hominis umbram, sed ipsos etiam homines fugere cæpit, seque cum sex aliis elongavit fugiens, & in solitudine mansit, quò eum hùcusquê innumeri feliciter secuti, securam ad mortem beatam extra hominum oculos invenerunt viam. *Annal. Cart. l.* 1. *c* 1.

Zebentner in male spei Promontorio, Lib. 4 § 2. *num.* 25. refert historiam, de quodam Canonico, pessimæ vitæ Toleti in Hispania, qui cùm extremè ægrotasset, monitus fuit aliquoties ab Ecclesiaste Toletano, aliisque de confessione scelerum facienda: sed nihil profecêre asserente ægro periculum remotius esse, quàm ipsi arbitrarentur: Mox obmutuit miser. Ergò

Eccle-

Ecclesiastes apprehensa Christi pendentis effigie, Psalmum, *De profundis &c.* exorsus est, jamque ad illa venerat Davidis verba: *Fiant aures tuæ intendentes, in vocem deprecationis meæ*: cùm ecce tibi lignea Imago, tota præsentium corona spectante, brachia ad crucem fixa resolvit, & utrâq; manu aures obserans formidabilem hanc vocem misit: *Quia vocavi te, & renuisti, ego quoque in interitu tuo ridebo.* Fulmen hoc fuit tremendi Iudicis Crucifixi, quod ubi ab Imagine jactum est, infelicem animam ex corpore scelerati hominis in Tartarum deturbavit.

Famosus Magdeburgi Antistes Vdo, cum cœlesti nuntio, tertium à se misso atque commonenti: *Da finem ludo, quia lusisti satis Udo*: fidem non haberet, sed in sua nihilominùs lascivia persisteret, tandem ad Tribunal DEI citatus est; quâdam enim nocte S. Mauritius in Ecclesiam suam, (cujus

ius Vdo erat Antistes,) cum evaginato procedens gladio, voce valida exclamavit: *Omnes Sancti, quorum Reliquiæ hîc habentur, surgite & venite ad judicium DEI.* Tùm subitò maxima & præfulgida apparuit utriusquè sexûs multitudo, subinde Christus Sole splendidior, stipatus Sanctissimâ Matre, & duodecim Viris Regali Solio consedit, jussitquè Vdonem adduci. Raptùs ille è lecto, continuò adfuit. Hîc D. Maritius accusatorem agere, scelera ejus, impurasque veneres detegere, scandala ovibus propriis data in faciem exprobrare, conclamantibus omnibus: *Reus est mortis.* Itaque ad gladium ab æquissimo Iudice condemnatus, ab ipsomet Mauritio sententiam exequente decollatur. Spectavit hæc Canonicorum nonnemo, & simul unus alius, animam eius à dæmonibus ad æterna incendia abripi, ibique natali suo & amasijs maledicere, meque; Clericis ad Ecclesiam venientibus

Vdo,

vdonem in ſuo ſanguine tabefactum oſtendit. *Nancler. volum 2. gener.* *Trithemius, Fulgoſus, S. Antonius. & alij*

Anno Chriſti 914. Cùm dira fames Germaniam infeſtaret, Epiſcopus Moguntinus, *Hatto nomine*, plurimos pauperes in horreo congregatos, ea ſpe quôd eſcæ vel panis nonnihil ex Epiſcopi liberalitate accepturi eſſent, concremari juſſit, dicens, nihil differre eos à muribus, frugibus tantùm conſumere natis. Quam tyrannidem protinùs DEVS ultus eſt. Præcepit namque muribus, ut acervatim illum invaderent, ac diu noctuque affligerent, vivumque devorarent. Itaque ille in turrim in medio Rheni extructam aufugit, ſed nec ibi à morſibus murium tutus eſſe potuit. Nam mures facto agmine per Rhenum natantes, in turrim conſcendere, juſtum DEI judicium executuri, quod agnoſcens miſer horrendâ tandem morte inter mures periit.

rij. Feruntur mures nomen eius quoque à parietibus & tapetibus abrasisse. *Genebrardus li. 4. Chronograph.*

Conradus Hildemensis Episcopus, noctu ad libros sedens, sequenti die dicturus ad populum, alienata iam à sensibus mente, videre sibi visus est, Præsulem mitrâ insignem ad Iudicis DEI Tribunal rapi. Examinatur causa ab assidentibus, mox lata sententia mortis lictores damnatum reum, infulâ, annulo, cæterisque Pontificiis ornamentis exuunt, carnifici in manus tradunt; tum qui judicio aderant loco surgentes cum hoc Epiphonemate recedunt: *Ergo dum tempus habemus operemur bonum.* Interim excitato Episcopo, servus nuntiat Dominum suum vespere proximè elapso, subitâ morte extinctum, qui ipsius erat sangvine, sed vitâ & moribus degener, præsertim rapinis & libidinibus infamis. *Cantipratanus lib. 1. Apud c. 3.*

Ergò quære præesse si quæris duriſſi-

rissimum judicium, in quo pro te, ac tibi subjectis, (quos plus æquo times, aut amas, aut negligis, aut deprimis) respondeas. In his ego cogitationibus dies noctesque versor: (*scribebat S. Gregor, Nazianzenus.*) Hæ medullas ipsas absumunt, & carnes abrodunt, faciuntq; ut non de præfectura nec de corrigendis aliis & gubernandis cogitem; sed quomodo ipse venientem iram effugere queam; non nihilq; vitiosæ rubiginis, à me ipso abradere purgarique primùm ac deindè purgare. Accendamur, ait, *S. Bernardus*, ad pœnitentiam, interrogemus conscientias nostras; & animemur ad ultionem exigendam de nobis, ut horrendum possimus evadere judicium DEI. *Sermone in Nativit. S. Joannis Baptistæ.*

Pennequin dissertatione *6.* § *13.* ait, B. Ephræmo aliquando conspectum fuisse Christum Judicem in hæc verba tonantem: O anima! quare mihi seriò

non deſervis! cur cum tanta negligentia orationes tuas peragis! cur ad Iudicium meum tam rigidum te meliùs non diſponis? quare tot gratiis, quos tibi contuli, & quotidie confero, diligentiùs non reſpondes? Ego tui cauſa mortuus ſum, defecit ad hæc Ephræm; ac tremens dixit: *Venite montes & me peccatorum impium cooperite.* Et tu quoque quando fortè ad aliquod peccatum te videris paratum, illud horribile & intolerabile Chriſti Tribunal cogita, in quo Iudex in alto ſedebit throno, aſtabitque omnis creatura rationem geſtorum reddutura. Horribiles quidam ac triſtes circumdabunt Angeli flammas ſævas reſpirantes. Probrum illud & verecundiam ſempiternam. Hæc tu time, ait *S. Baſilius Tom. 1. in Pſal. 33.*

S. Macarius cùm numeroſam Ægypti Anachoretarum congregationẽ adunatam inveniſſet, juſſus ædificationis ergò aliquid in medium proferre, nihil

nihil aliud, quàm terribile DEI judicium memoravit: *Ploremus*, inquit, *fratres, & deploremus modò nos ipsos, antequam ad horrendum illud Tribunal evocemur, post cujus sententiam lachrymæ nostræ comburent corpora nostra.* Quibus auditis corruerunt omnes in terram, & peccata sua singuli amarissimè defleverunt, *In vitis Patrum.*

Idem nos etiam faciamus; Culpam tuam pensa & dilue dum vivis (*monet Sanctus Greg. Mag. Lib. Epist. 33. ad Venantium*) districtionem venturi Iudicis, dum vales exhorresce, ne tunc illam amaram sententiam audias quando jam nullis fletibus evades. Etenim (*teste D. Chrysostomo hom. 46 ad pop. Antioch.*) nullus eorum, qui hîc peccata non dissolverit, illuc migrans eorum pœnas effugere poterit. Iam verò qui semetipsum perfectè judicat, judicium non expectat, *inquit B. Petrus Damiani lib. 4. Epist. 15.*

Hoc judicium ſtatûs Sacerdotalis, efficaciter repræſentat vetus elegans pictura, in Sacrario Eccleſiæ noſtræ Cathedralis, ubi in ſuperiori parte tabulæ expreſſus tremendus Iudex Chriſtus, cum cœleſti Curia Beatorum, & Sanctorum omnium, in medio tabulæ procumbit Epiſcopus cum Prælatis & Canonicis, ferentibus junctas manus, & cadaveroſas facies in apparatu conſueto, taliter ingemiſcentes,

Epiſcopus.

O Vtinam populo mihi credito, verbo & exemplo præfuiſſem, jura Eccleſiæ fortiter defensâſſem, non alienâſſem, ſed recuperâſſem & auxiſſem, bonis Eccleſiæ conſanguineos non ditâſſem, ſed in propagationem religionis & cultûs Divini diſciplinæq; Eccleſiaſticæ diſpenſaſſem, idoneos ordinâſſem, beneficia non amicis, aut aliis in favorem, ſed fidelibus operariis contuliſſem.

Præla-

Præpositus.

O Vtinam ſine ſimulatione, partialitate & odio, penſata tantùm æquitate & juſtitia, & quæ communi utilitati conducunt, ſincerâ fide & charitate præſediſſem.

Decanus.

O Vtinam tam diurnis, quàm nocturnis Officiis, non curſim, ſed regulato modo & ordine, ſine negligentia ritè exequendis vigilanter ſuperintendiſſem!

Archidiaconus.

O Si prævio rigido Ordinandorum examine, ſpretis omninò ſurdibus non diſſimulanti, ſed perſpicaci oculo, idoneos, dignoſque Clericos Pontifici præſentâſſem!

Scholasticus.

O Si ordinatam Scholarum disciplinam, Iuvenum, adultiorumque eruditionem, rigorosè, tam in Scholis, quàm in choro, fieri disposuissem!

Cantor.

O Si debitas Antiphonarum, Psalmorumque inceptiones, cantus, tonos, versusque regulari consentu depromere ordinâssem!

Custos.

O Si decorem Ecclesiæ, vasorum munditiam, clenodiorum, vestiumq; Sacrorum custodiam, campanarum regularum pulsum attentè procurâssem!

Cancellarius Capituli.

O Si munimentorum conservationem,

nem, literarum expeditionem, minutarum quoque argutam rimationem, solerti studio respexissem!

Cancellarius Episcopi.

O Væ mihi! Vtinam Reverendissimo meo aliis impedito, Disciplinæ Ecclesiasticæ per Diœcesim invigilâssem, jura, libertates Ecclesiasticas diligentiùs defensassem, litibus, & Actionibus Episcopatûs attendissem. Cancellariamq; meam ac curiam disciplinatam servâssem, nec favore ductus minutas scripsissem sigillassemque!

Canonicus.

O Si præsentias meas, sine cachinatione, sine vani loquio, sed attenta devotione, debitis horis, & obsequiis neruissem, atque conscientiâ timoratâ & severâ vocassem!

In parte inferiori tabulæ, depictus est Infernus: Varij status & conditionis damnatos, inter voraces flammas repræsentans, cum hac inscriptione:

Guarda, Guarda, Specta Time, Cave.

CAPVT III.

INFERNVS

Sacerdotis profundior.

QVamdiu viri Ecclesiastici, Regali Sacerdotio inclyti, habitu venerabili & sancto amicti, Ordinis dignitate conspicui, DEO & Religioni, sanctè inhærent, sunt velut lignum vitis, suis pampinis ac fructibus turgens; at si à DEO, ab instituto suo præcisi sint, ad nihilum valent sicut lignum vitis, si non manserit in vite, nisi ut humi serpat, conculcetur, & in ignem mittatur ad comburendum; quâ similitudine usus est Doctissimus *Origenes*, *Homil.* 5. *in c.* 5. *Ezech.* Lignum vitis, ut honora-

bilius est lignis omnibus si afferat fructus: sic omnibus inferius judicatur, si id non habeat, unde præcellit; quia ex reliquis lignis varia opera; ex vite verò nisi fructificet, nil fieri potest, tantùm igni utile est; quæ sic proposito huic applicat, Ita Christi quidem discipulus, si fructum hoc nomine dignum ferat, honorabilior est reliquis gentibus, sin minus, abjectior. De his inutilibus palmitibus veritas dicit: *Si quis in me non manserit, mittetur foras, sicut palmes, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet*; quasi tales damnationem ignis æterni secum ferant, atque in eo atrociùs præ aliis cruciandi sint.

Propheta Regius de Supremo ac tremendo DEI judicio agens: *Congregate*, inquit, *Sanctos qui ordinant testamentum ejus super Sacrificia. Psal. 49.* Vbi docet *Sanctus Chrysostomus* hic verbis imperari Angelis, ut sistant ad Christi Tribunal Sacerdotes inprimis

mis scleratos ut severiùs judicentur. Deinde quærit, si mali jubentur sisti, cur Sancti appellentur? *Cur*, inquit, *quos accusaturus & condemnaturus Sanctos appellat?* Respondet, quòd DEVS Sanctos appellet, accusationem augens & honorem adiiciens, ad majorem significationem supplicij; ut ex dignitate statûs & muneris, gravitas culpæ & pœnæ manifestior redderetur: ut disertè Lucæ 12. significatur: *Servus sciens voluntatem Domini sui*, (quam haustâ scientiâ ex tot libris, & concionibus illuminationibus perspectam habent Sacerdotes,) *& non faciens, plagis vapulabit multis.*

Quæ verba *D. Thomas ex Theodoreto graviter exponit dicens.* Hic nobis Dominus majus aliquid & terribilius ostendit: Non enim dispensator infidelis acceptâ privabitur gratiâ, ut nihil eum juvet, ad vitandum supplicia; sed magis fiet ei damnationis

causa dignitatis immensitas. Unde dicitur: *Ille autem servus, qui novit, &c.*

Manifestum est cuivis, si homo agrestis, quid alienum à Mysteriis Fidei proferat, in eum non sic ab inquisitoribus animadvertendum, quàm si quis vir literatus, Doctoratûs laureâ insignis, & Nominis celebris, impingat aut hæresim spargat: *Ita. (inquit, S. Chrysostomus, Homil: 27. in Matt.)* Non similiter in omnibus omnia judicantur, sed major cognitio, fit majoris pœnæ materia, unde Sacerdos eadem peccans cum populo, multò graviora patietur, quia & majorem peccati, & gratiæ quam perdit, notitiam habet. Homo enim perspicax, qui turpioribus suam voluntatem inclinavit, inexcusabile peccatum commisit, quasi propter malitiam recedens à Domini voluntate, sed homo rusticanus, rationabiliùs impetrabit veni-

veniam vindicantis; Vnde subditur: *Qui autem non noverit voluntatem Domini sui, plagis vapulabit paucis.*

Duabus eminebat dignitatibus Core, scilicet præsidentiâ Concilij, juxta *Abulensem*, *Dionys. Carthusianum*, & *Oleastrum*. juxta illum numeror: textum: *Viri proceres Synagogæ, qui tempore Concilij per nomina vocabantur.* Secunda dignitas erat Sacerdotij, siquidem Aaroni sanguine junctus, eademque de tribu Levi natus erat; ad quam dignitatem, quemadmodùm apud *Lyranum* asserunt *Rabbini*, ad radices Synai electus Vbi caput effectus est seditionis, dum Dathan & Abiron, contra Moysen & Aaron, excitat, summum affectans Pontificatum; quod crimen enorme, insolitâ DEVS & reliquis sæculis minimè inflictâ punivit pœnâ, dum terra sub pedibus ejus dehiscente, vi,

vum fecit descendere in infernum. *Origenes Homil. 5. Ezechiel.* Majorem pœnam, inquit, habet, qui Ecclesiæ præsidet, & delinquit; quid mi prodest, quia prior sedeo in Cathedra resupinus, honorem Majoris accipio, nec possum habere dignitate mea opera condigna? nonnè majori pœna cruciabor? quia honor justi, mihi ab omnibus defertur, cùm peccator sim? *Sanctus Isidorus Pelusiota lib. 2. Epist.* 17. Sacerdos, ait, graviores vitæ suæ rationes subibit, tantúsque ad ipsius pœnam atque cruciatum cumulus accedet, quantus priùs in eo honor collatus est?

D. Gregorius Papa, explanans illam Divinam comminationem ad Heli 1. Reg. 2. *Pars magna Domûs tuæ morietur, cùm ad virilem ætatem venerit.* Per virilem ætatem, mysticè accipit ordinem Sacerdotalem vultque insinuari, quòd qui cùm essent parvuli,

vult, id est subditi, vixerant ac victuri semper fuerant, facti viri, videlicet Sacerdotes, moriantur & intereant. Ætas virilis, inquit, tempus est administrandi Sacerdotii. Imitator itaque Doctoris reprobi, ad virilem ætatem dicitur, cùm ad Sacri Ordinis celsitudinem promovetur, ad quam profectò ætatem cùm pervenerit, moritur; quia ad tantum ministerium, quisquis indignus accesserit, vel in eo indignè vixerit, condemnatur. *Lib.* 1. *c.* 3. *exposit. sua*

Hinc S. Chrysostomus Hom: 3. *in Acta.* Non temerè, inquit, dico, sed ut affectus sum & sentio. Non arbitror inter Sacerdotes multos esse, qui salvi fiant, sed multò plures, qui pereant. In causa est, quoniam res excelsum requirit animum. Multas enim habet causas, quæ depellant ipsum à suis moribus, & innumeris oculis illi opus undique; ut videlicet omnes

sibi commissos, verbo, exemplo, & aliis exercitiis ad salutem juvet, neminem perdat, aut quantum est in se perire permittat, multo minus scandalosâ vitâ perire faciat.

In Revelationibus Sanctæ Brigittæ legitur lib. 4. c. 15. quod Christus malos Sacerdotes Diabolo pejores dixerit: *Deteriores sunt diabolo*, inquit, *& ideò præ omnibus diabolis profundiùs submergentur in infernum.* Vbi præter pœnam damni, quæ in Sacerdote post tot, ac tam insignia Divinæ benevolentiæ testimonia, non nisi acerbissima esse potest, alia insuper supplicia, ac tormenta erunt subeunda; quæ præ aliis damnatis atrocissima illi infligentur; ac proinde in eum ignis inferni longè crudeliûs desæviet, & quidquid in illa infelicitatis abysso triste ac durum, quidquid amarum & acerbum, illud præ cæteris experietur. Heu *Domine, quid*

no-

novit potestatem iræ tuæ, & præ timore tuo iram tuam dinumerare? Confige timore tuo carnes meas, à judicijs enim tuis, & ô quantum à supplicijs timui! Psalmo 80.

Ad cumulum ipsius damnationis, & pœnarum illi adjunctarum, erit æternitas, & illius horrendæ æternitatis, cognitio semper vrens & infestans, quæ miserum illum continuò cruciabit, ejusque animam velut iteratis desperationis aculeis, lancinabit, & discerpet. *Vermis eorum non morietur* (inquit Christus *Marci 6.*) *& ignis eorum non extinguetur.* Hanc æternitatem *P. Cornelius à Lapide ad cap. 4. Malachiæ, his verbis unicuique nostrûm ob oculos ponit.* Si DEVS diceret Iudæ traditori, & cuilibet damnato, singulis millenis annis, pro tuis peccatis emittes duntaxat unam lachrymam; & quando hoc modo, per tot annorum intervalla, tot

lachry-

lachrymas emiſeris, ut illis totam mundi capacitatem impleas, miſerebor tui, teque ex inferni ignibus pœnisque eripiam, gauderet utique hoc promiſſo Iudas proditor, aut quiſquis alius damnatorum, ingenti gaudio & ineffabili, eò quòd ſalutis aliquam haberet ſpem: ſed quàm longa hæc ſpes! quàm vaſta annorum ſpatia ei in pœnis metienda eſſent! quot millena annorum millia expectanda, antequam lachrymis ſuis vel ſcyphum impleret! quot milliones annorum, ut poculum! quot cubi millionum ut dolium unum! quando ergo cubiculum? quando Domum, quando Vrbem? quando Provinciam? quando terram? quando aërem? quando cœlum lachrymis ſuis compleret? O æternitas infelix! ô æternitas dolorum! ô doloroſa DEI privatio! quis illam æternitatem feriò cogitare poteſt, & non continuò contremiſcere, & horrore affici! ô æternitas! quis pote-

poterit æternitati par esse in tormentis? Quamdiu DEVS erit DEVS, diu durabunt lamenta; quamdiu istud erit? non est effari, Cogitari potest explicari non potest. Væ illis (*dicit Sanctus August. de verbis Domini*) qui cum diabolo mansionem habebunt, ex qua ascendit fumus tormentorum in sæcula. Væ illis, Væ illis! O væ æternum! nunquam finem habiturum! ô finis sine fine! Mors gravior omni morte, semper mori, & non posse unquam emori. Ardebunt miseri in igne æterno in æternum. *Teste D. Bernardo lib. Med. c. 4.*

Cogitent ergo seriò & sedulò expendant Sacerdotes, quàm misera ac miseranda conditio sit pravè viventium in suo tam excelso & sublimi statu, in quo nec præsenti seculo, nec futuro fruuntur; hîc Gehennam & alteram postea habituri. Vé mertò lamentabiles illas voces usurpare

paré queant, quas commiseratione ductus, ejusmodi convenire dicit Apostolus 1. Cor. 15. *Miserabiliores sumus omnibus hominibus*, etiam gentilibus & barbaris, quibus mitius judicium & supplicium. Quod probatur eventu mirabili, qui contigit *Beato Macario*. Hic aliquando per desertum gradiens, cranium invenit hominis mortui, quod baculo attingens, cujus fuisset in vita interrogavit? respondit que cujusdam eodem in loco Sacerdotis gentilis, adjiciens, quód quantùm distabat cælum à terra, tantùm habebat de igne super caput suum, cum aliis paganis, & tantundem ab infra sub eo esse ignem, in quo cruciabantur mali Sacerdotes. S. *Antoninus 4. par. tit. 14. c. 4.*

S. *Gregorius lib. Dialog. cap. 31. scribit*, quòd eò tempore, quo Gothi Italiam vastabant, *Reparatus Romanus*, improbus magis quàm igno-

bilis

bilis vir, dum defunctus plangeretur revixit. Et mittite, inquit, ad Ecclesiam Laurentij Martyris sciscitatum, quid *Tyburtius Presbyter* agat? Vidi enim eum rogo impositum acriter torreri, vidi & alium rogum, qui flammæ mucrone cælum lambere videbatur, de flamma quoque vocem erumpentem audivi; quæ indicabat quis ille esset, cui pœna parabatur. His enarratis repentè obmutuit, morte percussus, atque iterùm illuc unde redierat abijt. *Tyburtius* etiam tunc infelicem animam exhalâsse compertus est, qui cum Presbyter esset, nihil Presbyteri habebat, præter figuram ac nomen. Reparato autem alios admonendi, non sui à perditione liberandi copia data est, Deo per illum cæteris consulente, ut caverent eorum vitia imitari, quos ad gehennam damnatos satis certo judicio agnovissent.

Cæsarius scribit lib. 12. Miracul. cap. 6. Parochum quendam fuisse in animarum cura pigerrimum, hic cùm expirasset, religiosi cujusdam oculis horrendum se spectaculum obtulit, vidit enim Parochiæ illius defunctos, sese tumulis egerere, saxa arripere, & illis Parochum petere exclamando: *Ah impie! Miseri nos tibi commissi fuimus, tu nos neglexisti. In percipiendis decimis nemo te diligentior fuit, in curandis animabus, nemo obliviosior, nemo inertior. Emolumenta cupidè quærebas, quid de nobis ageretur non curabas. Cùm peccaremus, nos minimè corripuisti, neque verbo, neque exemplo nos revocasti. Ah! lupe potiùs, quàm verus Pastor, tu occasio nostræ damnationis fuisti: Par est, ut tu quoque in istis flammis nobiscum torquearis.* Hæc cùm dixissent, & lapidibus illum obruissent, miseram hominis animam in profundum puteum deturbarunt, nec

nec

ipse unquam ampliùs comparere visus est. Sic cæcus cæco ducatum præstans ambo in foveam inferni cadunt. Væ Sacerdotibus, væ Confessariis, væ tibi dissipator non dispensator Mysteriorum DEI, qui toties Sanctum dodisti canibus, hoc est Sacramenta Confessionis & Communionis, indignis peccatoribus, vero dolore seu proposito destitutis, scandalosis, vel in occasione proxima peccati mortalis voluntariè persistentibus; inimicis suis reconciliari, vel aliena cùm possent reddere nolentibus, & fortè de numero peccatorum Lethalium, de circumstantiis speciem mutantibus non interrogabas. Quid proderit stulta illa gloriatio, quòd brevi tempore plurimas audiveris Confessiones, quæ æternam tibi pariens confusionem?

Annales Ecclesiastici Anno Christi 1211. è Trithemio meminere Adal-

Adilberti viri probi, qui nocte tota jam fuit opinione omnium & comploratione cadaver, mane jam sepeliendus, vivus resedit; surrexit alijs aliò fugientibus, ad Sacram Ædem cum festinatione contendit. Circumfusa in templo multitudo, interrogabat quid vidisset, at ille in oratione ad nonam usque defixus, vel tantùm silentio vel hac sola voce reddita respondebat: *Va stultitia hominum! Va impœnitenti! quàm acerba sunt, quæ manent eos post hanc vitam!* Rogatus ab Archipresbytero viro religioso, ac docto, quid de futura vita vidisset? *Vidi*, inquit, *multa horrenda, sed sum jussus nòn omnia populo aperire: Ne magnalia & secreta DEI veniant in derisum, his qui sapiunt juxta carnem.* Vocatus Sponheimiensis Abbas, cum Ioanne Priore adfuit. Narrabat Albertus inter cætera, tot sibi monstratas ad tremenda inferni, quæ videbat tormenta descendere a-

nî,

nimas, ut putaverit vix intra centum annos tot homines exire de vita. Tot in illis tormentis Ecclesiasticos, Deo dicatos & seculares à se visos, quot vix in toto mundo esse homines credidisset. *Vide Bzovium Num.* 12.

Dum Carcassonæ ænergumenus quidam à pluribus obsessus Cacodæmonibus *Sancto Dominico* exorcizandus offerebatur, , inter cætera S. vir sic percunctabatur: Quinam sunt inter Christianos, qui maximè damnantur: Cùm quamvis inviti respondissent maligni spiritus, rursus subjunxit *S. Dominicus?* de Sacerdotibus verò & Religiosis nullam mentionem facitis? Responderunt innumeros se possidere Sacerdotes; at verò Religiosos nullos. Sed ex ijs, qui non habita ratione statutorum sui ordinis, ea temerè violant, singulis diebus ad nos innumeri devolvuntur, Subinterrogavit & dixit iterum Sanctus, de

meis

meis verò Religiosis, & Franciscanis quid dicitis? tunc ad hoc renovatis vocibus & clamoribus, responderunt dicentes: *Heu! Heu! ex illis pro tempore nullum habemus, futurum verò est, ut infinitos recipiamus: cùm nempe severitas statutorum, Caeremoniarum, ipsaque devotio refrixerint, pessumque ierint. Ita Martinus Valecerfis in legenda Sancti Dominici par. 1. Cap. 5. Specul. Exem. Prat. Florid.*

Zacharias Boverius in Annalibus Capuccinorum anno 1566. Narrat Patrem Franciscum de Fano, ob casum sequentem ad Capuccinorum ordinem transiisse. Erat is aliquando in extasim raptus, verùm sibi postea restitutus, horrore ob sibi à DEO ostensa plenus, & citatis gressibus, ad Capuccinorum Asceterium accurrit: Dixerat per Divinam revelationem, ut ipse postea non sine lachrymarum

fusu

fusè narravit? maximam hominum turbam, veluti pluviæ guttas ad inferna descendere, paucissimosque in æthera sustolli. Plurimos etiam ex Religiosorum ordinibus, qui Regulari observantiæ minimè studuerunt, in tartara mergi.

Novitio cuidam B. V. MARIA se videndam præbuit, ad illumque S. Raphaëlem Angelum, ut tormenta inferni, ac Cæli gloriam ostendendo, destinavit. Adfuit Raphaël Novitio, & ostensis ei æternitatis Beatæ deliciis, tum aperto inferno, jussit illum attentis oculis introspicere, perluctuosum illum populum damnatorum desperanter ululantium, præ fame, siti, doloribus, igne, rabie in tormentis. Ibi vidit alium impuris carnis voluptatibus olim deditum, infecto per viscera igne horridè cruciatum, avarum Principem pelle tota exutum, in flammis. Vanos ac Vanas, quibus

pudicitiæ leges parum cordi erant, variè carnificatos: Religiosos nonnullos libertinos, ob quædam contra suæ conditionis sanctitatem licenter gesta, igneo illo ergastulo mancipatos, Judam rotæ igneæ, horrendo æternoque spectaculo, catenis igneis illigatum. *Ita ille Novitius ope Deiparæ, timere DEUM didicit. Valer. Venetus Prat. par. 1. lib. 2. cap.*

P. Mendoza serm. 5. Dominicæ Quadrages. Refert de quodam Religioso, cui apparuit spiritus damnatus ejusdem Ordinis, à quo cùm minimam infernalem pœnam per odoratum exhiberi petiisset, reprobus ille spiritus chlamyde levata sola, pectus monstravit; ex quo tam horrendum exhalavit fætorem, ut subitò Religiosus ille in terram mortuus conciderit, & per diffusam per universum monasterium pestilentialem putcolen-

ciam,

tiam, omnes illius Religiosos pariter mori fecerit, cujus Monasterii situs adeò desolatus fuit; ut in ruinam declinans, vix lapidem super lapidem residuum habuerit.

Terribilem Historiam Scriptor Hispanus enarrat. cùm inter duos Religiosos graves inimicitiæ exortæ essent; unus eorum lethali morbo correptus, adversarium ad se advocavit, priusquàm Ecclesiæ Sacramentis muniretur; eique injuriam omnem remisit, imò & amplexus est. Hic ut erat petulanti ingenio ad socium alium conversus: *Bonus ille vir, inquit, mori timet, ideòque dimittit.* Pupugit ea vox moribundum, ut veniam, quam donârat, revocaret illicò. addideratque diabolicum illud, *nec tibi condono ipse; nec à te mihi condonari volo*, dixerat, & statim in agoniam incidit, sicque infelicem animam exhalavit. Fiunt tamen ei justa de mo-

re,

re, quibus peroctis à Religiosis omnibus mensæ accumbitur; sed ecce sub hac funesta ac lamentabilis umbra ingreditur, atroci vultu, rigente horridaque coma, oculisque ignem spirantibus; tum defixo in omnes obtutu, vocem hanc, velut emissum è nubibus tonitru, emisit: *Ob immane odium, quo vivus in terris arsi, ardeo in inferis mortuus, æternumque ardebo, sed & ille; cujus culpâ ardeo breve ardebit* Tum conversus ad illum Religiosum sibi olim inimicum: *Sat epulis datum est; à mensa surge infelix, lata quippé & in me, & in te à DEO Judice sententia*, dixerat & in illum adhuc Mensæ inhærentem irruit, raptat, stringit, & dum ab hoc & illo, quà pugnis, quâ unguibus, quâ etiam dentibus, ac morsibus res agitur, & fatalis lucta: de repentè sub pedibus dehiscente terra, absorbetur uterque, atque ad inferos devolvitur, relicto intolerabili fætore, neque

neque in sepulchro ubi jacuerat, infame cadaver repertum est. *Ita Franciscus Christoval. Anno* 1570. *& Engelgrave.*

Legitur exemplum de quodam in Italia Usurario in Padagogo Christiano cap. 15: *Tit. Confessio.* Hic nolens hunc quæstum dimittere, in Pœnitentiæ foro ab Vrbis Parocho rejectus, in Monachum tandem incidit, qui eum semper absolvebat, ideòque familiarissimus ei factus, & in dies mensæ adhibitus Accidit ut liberaliùs unà cænâsset, jamque Religiosus se in claustrum serò vespere receperat, ipse vero vix cubitum contulerat, cùm subitâ morte extinctus est. Atque illicò ex orco ephæbi ementiti, ad Cænobium convolant, quantociùs Religiosum à tali viro acciri denuntiant. Vadit cum socio, & in forum veniens, videt Vsurarium Lunæ beneficio, in talari

tunica inambulantem, quem non sine stomacho, num se rideat percunctatur? Respondet alter alto cum gemitu se vivis excessisse, æternis pœnis addictum ob usuras, & potissimùm ob sacrilegum Sacramentorum usum, in quo cùm ipse corripere se debuisset, & tacuisset, unà secum æternis inferorum suppliciis cruciantium. Quo dicto, terra hiatu panditur, & hos duos simul cum ephæbis illis tartareis, socio semivivo relicto, absumpsit, qui superiori tragædiam horrendam enarravit.

S. Francisca Romana vidit inter tormenta inferni, Concionatores in fornace ardente, ac plena serpentibus, datos canibus lacerandos; & os illorum sordibus impleri, linguam autem & cor evelli conspexit. *Valer. Venetus Prat. par. 2. Lib. 3. c. 57.*

P. Pinellus in multorum redargu-

guat errorem, qui sibi persuadent, veram se egisse pœnitentiam, eò solùm quia peccata sua confessi sunt, licèt in ea confessione non fuerint solliciti de faciendo sibi firmo & stabili non recidivandi proposito, sequens refert exemplum *Lib. 1. de alt vit. cap. 5.* Erat Canonicus quidam Parisinus, qui licèt recreationibus & deliciis deditus esset, cum signis tamen veræ pœnitentiæ mortuus fuit, qui tamen pauló post cuidam amico suo apparuit, eique se damnatum esse dixit, cùmque hic eum interrogásset: *Nonnè salutis remedia ante mortem recepisti*: Respondit miser: *Recepi, sed mero mortis metu, sine emendationis proposito, & si super vixissem, iterùm ad pristinas delicias, reversus fuissem.*

Guilelmus Episcopus Parisiensis; post matutinas horas orans, vidit inter se & lumen, quasi Vmbram ho-

minis terram, elevata ergo manu consignat se, & si ex parte DEI sit, præcipit ut loquatur. Cui respondit is, qui apparebat: *Alienus à DEO sum, sed tamen factura ejus: ego enim sum ille Cancellarius Pariensis miserrimus.* Rursus Episcopus, & quomodo tibi est sic dolenti? *Damnatus,* inquit, *sum æternâ morte. & tres fuêre causæ damnationis meæ.* Vna est, quòd crescentes fructus annuos contra pauperes timidè reservavi. *Secunda est:* Quòd contra sententiam plurimorum de pluralitate beneficiorum, sententiam propriam defensavi, & in hoc me periculo mortalis culpæ commisi. *Tertia est:* Quòd carnis vitio cum scandalo multo tempore laboravi. *Hæc Cantipratanus Lib. 1. Apum.*

Idem Author refert de Altero qui post mortem apparens, dixit *Hæc sola præbendarum causa est, pro*

qua

qua infelix ego æternaliter sum damnatus. Quoad dispensationem verô *B. Albertus* Magnus cuidam qui super pluralitate beneficiorum, idoneâ causâ destitutam dispensationem impetraverat, respondit: *Poteras ire in infernum sine dispensatione, nunc ibis cum dispensatione.*

In Annalibus Ecclesiasticis visionem quandam, *Dionysio Carthusiano*, pro defuncto quodam Episcopo orationi incumbenti factam legimus. Cùm enim in cella vigilans oraret, à duobus deterritus giganteæ formæ Spiritibus; vidit ante se adductum, squalidum, tetrum, ardentibus flammis circumseptum, fumoque oppletum; cui dixerunt? *Ecce pro quo oras*, intuens autem illum Dionysius diligenter, vidit circa ventrem & genitalia ejus immensum agmen serpentum; & bufonum, qui miserum corrodebant, ei quoque causa mox de-

clarata fuit, ob quam serpentes illam præcipuè corporis partem occupabant, nimirùm, quia fuerat in vita, in concupiscentijs fœminarum, Monialium, Virginumque, stuprator; *Raynaldus, Anno* 1462,

Tilmanus Bredenbachius Collat. lib. 8. cap. 12. de Walthero Demere, Nobili Viro, qui Carolo quinto ab obsequijs erat, scribit: Quòd dum in partibus Borealibus vento propitio in Islandiam navigaret, contigerit, quòd inciderit in aliam quandam navim, quæ vento pariter favorabili, ad ei occurrendum solverat, in puppi verò navigij monstrum quoddam erat, partes agens Naucleri, nigrum & deforme. Cùmque nauta Waltheri, monstrum interrogâsset, quas merces veheret, & quonam tenderet? *Dæmon* (hic enim Nauclerus erat) *respondit confestim ei, se Archiepiscopum vehere*, clamavitque:

Ten-

Tendimus ad montem Heclam, id est ad locum, ubi dicitur esse fenestra inferni flammas vomens. Quæ verba à Walthero audita, eundem ad mutandam vitam & mores, efficaciter permoverunt.

Frater Martinus à Matre DEI, *excalceatus Carmelita, in suo Gymnasio Philosophiæ, refert visionem mirabilem, Venerabilis Matris Annæ à S. Augustino Carmelitanæ excalceatæ de pœnis inferni, inter quas pœnæ Episcoporum tales ab ipsa visæ.* Eminebant flammis è thronis, qui Pontificatûs aliquando fastigium tenuerunt. Quos despectis eorum dignitatibus, vice mitrarum, probroso quodam pileo (corocas vulgus Hispaniæ vocat) catamidiabant, sæpiùsque ferventibus, ahenis, nec non lacunis aquæ fætidissimæ, cænique graveolentis, mergebant & volutabant: ac ne horum quidem satu-

ri, venenatis beſtiis, cruciandos ō bijciebant. Infimum inferni hi occupant: quia in mundo ſumma tenuerunt.

Hinc Religioſi quoque & aliæ ejuſmodi Perſonæ, quas ſui ſtatûs ſublimitas, DEO fecerat propiores hoc eodem in barathro torquentur Vidi namque illic è ſingulis ordinibus, celſiſſimiſque dignitatibus, quoſdam inter infernales illas flammas æſtuantes: dignoſcuntur autem clariſſimè: Vtique ſuo quemque prodente inſigni, Pœna pro ratione peccatorum acerbiſſima: ijs verô, qui majorem ſerviendi commoditatem, majoremque ejuſdem gratiam nacti ſunt; longè quàm cæterorum immanior.

Anachoretas etiam complures hoc in profundo perſpexi, quibus eremus nihil profuerat, quo minus eò deve-

devenirent. Quippè sibi tribuentes, quod DEO debebant, suisque actibus non DEI, sed suam ipsorum gloriam aucupantes, malorum æternorum ob suam hypocrisim facti sunt heredes.

Proprietarios & Apostatas, manibus pedibusque, vinculis ferreis adstrictos, ingentibus catenis trahentes Diaboli, nunc humi sternebant, nunc crudelissimè pulsatos, cippis & ergastulis mancipabant. Insuper proprietarii, bursas complures vermium plenas, gerebant ad pectora: qui viscera eorum rodentes depascebantur aliis oculos, aliis à cervicibus cerebrum dæmones eruebant, trudebantque per summam rabiem, in fornaces igni luculento ferventes. Alios arripiebant, angustissimis in ipso profundo mandandos sepulchris. Quorum quidem aliquos gutture tenus, quosdam etiam integros operiebant

bant. Qui quid ibi sentirent, horribili ejulatu, satis, indicabant.

Porrò in hujus profundi profundissimo, vidi cujusdam Ordinis Religiosum, & Religiosam, quibus sua professio, justo DEI judicio, non præsidio, sed rigidiori damnationi erat. Quorum proinde pœnas immensas, nescio quibus verbis exprimam. Ejulabant enim acerrimè: crimina ob quæ plectebantur, palam promulgantes. Quæ erant, Inobedientia, Invidia, atque luxuria. Religioso, Sacerdotium etiam ad pœnarum incrementum accesserat: vnde & gravius patiebatur, altiùsq; demersus erat. Probè utrumque agnovi. Vidi illos nudos, & quanta cogitari potest, imò majori multò oppressos miseriâ; Vt me infelices viderunt agnovêre protinùs: ideôque pudore suffusi, confusi]& ânxij, me discerpturi videbantur, tantâ rabie efferbuerunt, me ve-

rò hæc tanta eorum miſeria haud parùm afflixit.

Huc etiam ſpectat tremenda viſio de pœnis inferni Vener. Patris Gvilhelmi Tolosſani Eremitæ Auguſtiniani Sacræ Theologiæ Doctoris, ad quem benevolum lectorem remitto. Liber eſt approbatus Gandavi anno 1647.

Vaſelus quidam dum iter ageret, accidit ut juxta molendinum, equo inſidens pertranſiret, & ecce repentè monſtrum immane conſpexit, quo viſo, ſubitò eum terror invaſit, & ſtupefactus intremuit. Videbatur monſtrum illud, in aures aſelli, caudamque deſinere, cætera urſus erat; cùmque viator ad hoc portentum, territus obrigeſceret, fugamque præcipitem formidoloſus iniret, informe prodigium humanæ vocis verba formavit: *Noli*, inquit, *ô vir expaveſcere!*

scere! hominem me olim fuisse, sicut & ipse nunc es proculdubio crede, sed quia bestialiter vixi, post vitæ finem, bestiæ referre speciem merui. Porrò cùm ille perquireret, quis fuisset? Ego, ait, *solo nomine Benedictus fui, qui nuper Apostolicæ Sedis apicem obtinui.* Inquisitus autem quidnam retributionis haberet: *Nunc,* inquit, *usque ad diem judicij per dumosa atq; squallentia, per sulphurea loca. atque fœtorem exhalantia, atque incendijs conflagrata rapior; post extremum verò judicium, corpus meum simul & animam irremediabiles cruciatus, & gehennalis barathri irrevocabilis olla deglutiet. Ita Flores Exempl. Tit. 4. Exemp. 1. Tom. 4.*

Quid itaqne metuet? (*inquit S. Bernardus Compunc. cord. cap. 20.*) Si quis ad ista non trepidat, non expavescit, non timore concutitur? dum & ipse

& ipse Dæmon horret ac terretur, cùm hoc nomen *Infernus*, audit. *Teste S. Cypriano Epist. ad Demetr.* O DEVM immortalem. Diabolus timet gehennam, & Sacerdos non terretur ejus tormentis ac suppliciis, Quamvis ignis ille exæstuet, nos tamen ridemus, & delicias amplectimur, & licentiosè peccamus. Deplorat miseriam nostram *D. Chrysostomus Homil. 55. ad pop. Antioch.* Deplorat & lamentatur *Esaias Abbas Oratione 26.* dùm dicit: Væ nobis qui tenebrosum illud & materiæ expers incendium, æternumque & amarum fletum, & stridorem dentium, non consideramus Ablato enim flammæ splendore, DEVS in illo igne, reliquit urendi vim & obscuritatem, quâ magis impii excruciantur. Væ nobis! qui hîc sine timore nos peccatis obstringimus, quoniam nos ignis illic æternus excipiet, & tenebræ exteriores & vermis qui non dormit, & luctus, & stridor

ftridor dentium, & coram Angelis & creaturis omnibus, dedecus sempiternum! Væ nobis, qui cùm assiduos conscientiæ reprehendentis stimulos sentiamus, non erubescimus, nec rationem actionum nostrarum reddituri, DEI judicium formidamus! Væ nobis, qui in hoc exiguo vitæ spatio, ut iniquæ & brevi carnis cupiditati satisfaciamus, nos jucundissimo Divinæ gloriæ spectaculo indignos constituimus!

Exclamat hîc & *S. Isidorus velut infernum videns*: Succurre mihi DEVS meus; antequam tartarus me rapiat, priusquam ab igne inferni devorer. Plorate me cæli & terra, lugete me omnes creaturæ, flete me omnia elementa. *Ita ille.*

Ah Sacerdotes! Nolite & vos misericordiæ Divinæ tempora perdere, nolite accepta remedia dissimulare,

lare; ante supplicium cogitare de supplicio. Mente ergò & cogitatione infernum ingredimini, & horribiles ejus cruciatus atque tormenta, paulò penitiùs inspicite, & considerate, ne post mortem anima pariter cum corpore, in æternos illos carceres detrudamini! O quicunque cum Petro cecidisti, & in diaboli favorem peccando, Dominum ac DEUM tuum toties abnegâsti. *Pone tibi amaritudinem, & dirige cor tuum in viam rectam. Ierem.* 31. Inferni pœnas, gehennæ incendia intuere, & pœnitentiæ viam cum Petro arripe, animæ saluti dum tempus est prospice, teque ipsum constitue in perpetua securitate. O felices lachrymæ! (*exclamat Sanctus Thomas de villa nova*) ó felices gemitus! ó felices singultus! quibus perpetuos illos evitamus gemitus & dolores; felix pœnitentia quæ liberat à Gehenna. Peccavimus fratres, pœnitendum est, aut ardendum;

dum: quantò meliùs modicum pœnitere, quàm perpetuò ardere. Alter, utrum è duobus eligamus, (*clamat Sanctus Bernardus Lib. de anima,*) aut semper cruciari cum impijs, aut perpetualiter lætari cum Sanctis, bonum siquidem & malum, vita & mors, ante nos sunt posita, voluptas brevis pœna æterna. Momentaneum quod delectat, æternum quod cruciat. Elige, semel malè elegisse, semel periisse, æternum est.

Quid ergo ludimus? venit æternitas:
Cur tempus perdimus? quærit æternitas.
Et hæc quæ scribimus, legit æternitas.
Et quæ delinquimus, scribit æternitas.
Honores fugiunt; manet æternitas.
Aurum te deserit; manet æternitas.
Caro dilabitur, manet æternitas.

Et pro

Et pro tam vilibus, tam ſæva æter-
nitas.
Pœnas, & prœmia, monſtrat æter-
nitas.
Momenta mellea, plectit æternitas,
Tormenta fellea, promit æternitas.
Eheu pro qualibus, qualis æternitas?
Quid, heu! quid ſtertitis? clamat
æternitas.
Æterna perditis, urget æternitas
Nugas diligitis, monet æternitas.
Cælum negligitis: inſtat æternitas.

CA:

CAPVT IV.

GLORIA CÆLESTIS, *Sacerdotis Maior.*

SAnctorum gloria, (sed præcipuè Sacerdotum) excedit omne bonum præsentis vitæ, *inquit Doctor Angelicus* 1 *par. qu.* 46. *art.* 6. *ad* 3. *Apoc.* 4. Sanctus Ioannes vidit DEUM in throno Majestatis pleno. In circuitu sedis sedilia viginti quatuor. Qui obsecro has cingebant, occupabantque sedes? forsitan seraphim. Minimè equidem, qui potiùs juxta Isaiæ Prophetiam: *Sera phim stabant*; quidni ergò & Angeli inferiores. Sedebant itaque Sacerdotes, id quod per hæc verba exprimitur. *Et super thronos, viginti*

qua-

quatuor Seniores sedentes. "Quos Sacerdotes fuisse ex illa particula *Senior*; quæ Presbyterum significat, clarè evincitur. *Unde & Sanctus Isidorus ait:* Presbyter dicitur Senior, quòd non ad ætatem, sed sensum referendum est; quia senectus venerabilis est. *Lib. 1. de Sac fid. Cap. 39.* At in sequenti capitulo expresse dicitur; *Fecisti DEO nostro Regnum, & Regnabimus.* Apoc. 5. Cùm è converso Angeli non sedeant sed stent: *Siquidem decies centena millia assistebant ei.* Daniel. 7. Lucifer pariter, qui dicere non erubuit. *Sedebo*, in abyssum præcipatus corruit. Ecce itáque Sacerdotum in cælis dignitatem, honorem, & gloriam majorem & ampliorem, dum singuli horum sedent, stantibus Angelis.

Imò & ipsam in hoc Deiparam Virginem superare videntur Sacerdotes, de illa enim dicitur: *Astitit*

Regi-

Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate. Psalm. 44. *Ubi Sanctus Bernardinus Tom: 1. Serm. 6. art. 2.* Astitit, inquit, Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, id est, cum corpore glorioso, ex cuius splendore, post Filium suum tota lucescit Civitas Beatorum. Mirabilis profectô res, quòd Christus charissimam Matrem suam, æquis oculis à dextris suis, erecto corpore stantem videre potuerit. Quodsi enim Salomon Matrem suam, in aula sua recipiens, illam juxta latus suum sedere fecit; *Positus est thronus Matris Regis, quæ sedit ad dexteram ejus.* 1. Reg. 2. Quomodo Christus qui in honoribus debitis Matri reddendis Salomoni nequaquam cedit, permittere potuit, quòd Mater sua in gloriæ suæ aula, ancillæ instar à dextris consisteret; *Richardus à S. Laurentio dat rationem.* Dicit? Astitit, à promptitudine auxiliandi,

Ni-

Nihilominùs poteſt etiam dici, ad demonſtrandam quodammodo altiorem gloriam Sacerdotum in cælis, qui illic ſedere dicuntur. Vt quemadmodùm ſuperabant B. V. Mariam Sacerdotes, ſecundùm Quid in terris, ita & in cælis ſeſſione ſuperare videantur: *Nam S. Bernardinus ait:* Poteſtas Sacerdotalis, ſuperat poteſtatem Virginis glorioſæ, *Et S. Vincentius Ferrerius:* Beata Virgo ſolùm ſemel aperuit cælum, ſed Sacerdotes quolibet die, & in quolibet Miſſa. *Nimis conſortatus eſt Principatus eorum.*

D. Chryſoſtomus Homil 5 de verbis Iſaiæ ait: Sacerdoti thronus in cælo collocatus eſt, & de cæleſtibus negotiis pronuntiandi habet authoritatem. Vnde Theophilactus in cap. 20. Ioan. Vide, inquit, Sacerdotum dignitatem, quòd Divina ſit, DEI enim eſt remittere peccata: Sic igi-

igitur illi honorandi sunt ut DEVS, nam quamvis indigni sint, quid hoc? Divinorum donorum ministri sunt, & gratia operatur per eos. De Potestatibus Angelicis dicitur, quòd contremiscant coram DEO. *Tremunt Potestates.* At verò de Sacerdote *S. Ephrem ait:* Cum Angelorum Domino, & omnium Creatore familiariter agit.

Regius Propheta *Psalm. 46.* ad Sacerdotes alludit, dum altitudinem, ad quam sublimati sunt considerans, ait: *Dÿ fortes terræ vehementer elevati sunt.* Vbi septuaginta legunt: *Fortes DEI.* Idem David eminentiam Sacerdotum declarat dicens: *Secundùm altitudinem tuam multiplicâsti filios hominum, ubi Divus Chrysostomus,* locô multiplicâsti, legit, *elevâsti, extulisti.* Elevavit autem eos ad æqualitatem suam, quia secundùm altitudinem tuam, nec mirum,

rum, quia ipsemet de eis dicit: *Ego dixi, Dij estis. Sanctus Dionysius Areopagita*: Qui Sacerdotem dicit, augustiorem, prorsusque Divinum insinuat virum. *S. Hilarius Papa*, de Sacerdotio scribens: hujus sublimitatis rationem his verbis assignat; scilicet, quia assumitur in Divinæ Trinitatis brachium dextrum; siquidem Sanctissima Trinitas, hîc in terris mediantibus ministris suis, adoratur, agnoscitur, & glorificatur. Nam per manum Sacerdotum, Sacramenta & Sacrificia, quæ præcipua sunt honoris & gloriæ DEI instrumenta, esse suum, & substantiam accipiunt. Vnde Apostolus 1. Cor. 3. ait: *DEI adjutores sumus*.

Æternus Pater Vnigenitum suum honoraturus, judiciariam ei delegavit potestatem. Sic enim in Actibus Apostol. dicitur: *Ipse est qui constitutus est à DEO Judex vivorum*

rum & mortuorum. Actor. 10. Et in S. Ioanne c. 5. *Pater omne Judicium dedit Filio.* Certum autem est, quòd Angeli non erunt assessores, sed sententiam DEI approbantes, & ut nostri accusatores. Rationem *dat D. Thomas*; Quoniam Iudices assessores debent esse Iudici proportionales & conformet. Iudex autem Christus in natura corporali apparebit, secundùm quam ab omnibus videri possit, ideô oportet, ut Iudices assessores, naturam habeant humanam, quod Angelis non competit. Iudices ergô assessores erunt Apostoli, & omnes Sacerdotes, & Christum sectatores: *Vos, qui reliquistis omnia, & secuti estis me, sedebitis & vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel.* Matt. 19. *Judicabunt Sancti nationes & dominabuntur populis.* Sap. 3. Quôd autem Sacerdotes præcipuè sint judicaturi cum Christo, probatur ex propositione, cum Chri-

Christo Supremo Iudice, quem S. Ioannes Apoc. 1. describens, dicit, gladium in ore suo portaturum: *Et de ore ejus exhibat gladius ex utraque parte acutus.* *Apoc.* 1. In dextra septem circumferet stellas, *& in manu dextra septem stellas.* Veste indutus Sacerdotali. *Vestitum podere.* Quia itaque soli Sacerdotes Christo Iudici erunt veste proportionales, ideò ipsi potius Iudices assessores erunt, *Hinc Sanctus Chrysostomus Homil* 5. *de verbis Isaiæ*, de judiciaria potestate Sacerdotibus delegata scribens, ait: Sacerdoti thronus in Cælo collocatus est, & de cælestibus negotijs pronuntiandi habet authoritatem: quid cum honore hoc conferri possit? Ideircò & propè DEVM Sacerdotes locum obtinent. Teste *Sancto Ignatio Martyre, qui Apostolorum tempore vixit. Sic enim ad Smyrnenses scribit*, *Epist.* 10. Honora, inquit, DEVM, ut omnium Authorem &

Dominum; Episcopum ut Principem Sacerdotum. imaginem DEI ferentem, DEI quidem propter Principatum, Christi verò propter Sacerdotium; honorare oportet & Regem. O quantam dignitatem (*exclamat admirabundus D. Bernardus Serm. 8. de Pasch.*) quantam nobilitatem, quantumque donum contulit vobis DEVS ô Sacerdotes! Prærogativam enim Ordinis vestri, prætulit DEVS omnibus Regibus, & Imperatoribus terræ, prætulit ordinem vestrum omnibus ordinibus Angelorum, & omni Angelicæ Hierarchiæ, &c.

Hoc autem præmium, & majorem gloriam Sacerdotes obtinent pro conversione animarum. *Teste Origene in illud Levit. 7. ad Sacerdotem, qui eam obtulerit scribente.* Discant Sacerdotes, quia pars data est eis, cum his scilicet, quos ad pœnitentiam adduxerint, & tales effecerint, ut propitiùs eis sit DEVS, m-

ritum

ritum enim subditorum, merces erit & gloria talium Sacerdotum. Et certè hæc gloria multorum Sacerdotum in morte ostensa fuit, & post mortem.

In S. Petri Apostoli Martyrio à multis Angelos visos tradunt, coronas illi rosarum liliorumque porrigentes, atque etiam juxta stantem Christum, apertumque libum manu tenentem, in quo ea scripta conspiciebantur, quæ Petrus ad populum fando expromebat, & dum plebs vellet eum subtrahere neci, ne oblatam sibi gloriam impedirent, petijt. *Marulus lib. 6. c. 16.*

Sanctus Andreas Apostolus, biduo pendens in Cruce, docebat populum, circumdatus magno lumine, abscedente postmodum lumine, emisit Spiritum. *In Actis ejus.*

Dum extremum vitæ peragerer *Sanctus Daniel Episcopus*, Angelorum concentu, & miri odoris fra-

grantiâ tota Civitas adimpletur: S. autem Pater, erectâ ad cælum tam mente, quàm facie, exclamavit, dicens: *Domine accipe Spiritum meum.* Ad quem Angelus audientibus Fratribus ait: Præpara te ad Kalendas Martij, quia tunc Rex mundi IESVS Christus tibi occurret, & cum eo multa Angelorum millia. *In vita ejus.*

Sancti Martini Episcopi Turonensis vultus cum obijsset, splendidus apparuit; Angelici præterea cantus circa ipsum auditi sunt. *Marul. Lib. 6. cap. 16.*

Sanctus Bartholomæus Apostolus S. Mechtilde, in gloria, cum aurea Cruce fuit visus, & Christi ore, Cruce Christi sanctè portata laudatus. *P. Nadasi.*

Sanctus Matthæus Apostolus. Iphigeniæ Regis filiæ, post mortem una cum Angelo apparuit gloriosus, eamque solatus. *idem.*

S. An-

Sanctum Augustinum cum S. Bernardo vidit S. Gertrudis, pulchritudinis gloria decorum, & de corde ad cor DEI splendores igneos emittentem, ac radios ab ore spargentem.

Sanctus Richárius Presbyter, post mortem in aula splendida inambulare visus, & de illa, pro brevibus laboribus, data sibi Gloria gratulari & JESV gratias agere auditus est. *Vita ejus.*

S. *Thomæ Cantuariensi Archiepiscopo*, miræ pulchritudinis thronum, Apostolorum sedibus contiguum; præparari in Cælo, se vidisse, quidam mortuus magno miraculo ad vitam revocatus, graviter affirmavit. *Surius* Tom. 6.

S. *Benedictus*, Filiæ suæ Gertrudi apparuit, totus efflorescentibus ex se rosis, undique corpore toto vernans; singulis rosis alias rosas fæcundo sinu fundentibus, quo spe-

ctaculo docuit, quantò proemio coronaret DEVS afflictiones suas, quibus membra super terram domuerat. *Annus Cœl.*

S. Quidam Abbas, lectos duos aureos admirabili ornatu comptos, ab Angelis deferri vidit, audivitque vocem, in eorum altero *S. Anselmum*, in altero *Hugonem Cluniacensem Abbatem*, in æternis gaudijs recipiendum: exindeque conjecturam cœpit, utrumque eo die vitâ functum, quod eventus rei tandem comprobavit. *Surius in vita S. Anselmi.*

S. *Thomas de Aquino*, post mortem cum Angelis & B. *Alberto Magno* Magistro suo coram throno Divinæ Majestatis, à B. Mathilde Cisterciensi Virgine conspectus est; ac postmodum ob puram in omnibus intentionem stellato pectore apparuit gloriosus. *P. Nadasi.*

D. Hieronymi corpus cùm Spiritum reddidisset, subita lux circumfulsit

fulsit, visi sunt Angeli & Christi vox audita, quæ illum ad possidendum cæleste Regnum invitaret. Eadem hora Cyrillus Episcopus Hierosolymitanus, animam eius Angelicis gestatam manibus, cælum versus tendere conspexit. *Marulus lib. 6. c. 16.*

S. Franciscus de Sales Episcopus post mortem Lugduni ægræ atque depositæ Novitiæ, in mitra & cultu splendido, inter duos è cælo Adolescentem, ardentibus facibus instructos, se spectabilem præbens dixit: *Confide filia: Pete tibi cor meum huc afferri, & illico convalesces.* Et illa corum allato eius corde, in preces effusa continuò convaluit. *Ann. Cæl.*

Vrsinus Nursiæ Presbyter, castus ac S. dum animam ageret, lætus exclamavit, gratias agens ijs, quos ad se venisse solus cernebat. Et quærentibus qui ei assidebant, qui essent illi quorum adventu tantoperè gauderet,

Nunquid non videtis, inquit, Petrum & Paulum Apostolos hîc adesse & evocare me? Mox ad eos, quos tantùm ipse videbat, conversus dum repeteret: *Venio, venio, ecce venio,* cum ijsdem abiens corpus exanime reliquit. S. *Greg. Dialog. lib.* 4. *c.* 11.

S. Robertus Abbas mortuus, à tribus Angelis cælo inferri est visus, conspectis tunc, ab eius Confessario, duobus muris ad Cœlum usque porrectis, & anima eius instar globi ignei collucente, latrantibus contra semper ijs, quos semper vincebat, dæmonibus, *Ann. Sanct.*

S. Nicolaus Tolentinus sex ante obitum mensibus, singulis noctibus, concentum Angelicum audivit; & MARIÆ Matri, ac S. Augustino Patri, ipsi hinc exeunti, obviantibus animam dedit, bonus filius utriusque. *Vita ejus.*

S. Augustini Corpus, quo die mandatum sepulturæ fuit, Mona-

chus

chus quidam procul inde manens, & in spiritu raptus, vidit Infula & Pontificalibus indumentis insignem, sedere intra nubem candoris eximij, de oculis ejus promicantes radij, totam illuminabant Ecclesiam, & ubique incredibilis odoris fragrantia, nares oblectabat. Post hæc à Bernardo Abbate visus est, dum per noctem sermones ejus à fratribus legerentur in Ecclesia, limpidissimas ore aquas vomens, quibus totum Ecclesiæ pavimentum, supra modum inundabat. *Marulus lib. 6.*

S. Ioannes Eleëmosynarius Episcopus, à Iuvene aureum sceptrum manu gerente & splendido, hæc audivit: *Veni, juberis, Rex regnantium quærit te?* ejusque anima, obvijs pauperibus, cælum visa est petere gloriosa: quem S. Petrus post mortem, in æternam cæli mansionem inducere visus est. *Surius in vita ejus.*

S. Norbertus Archiepiscopus, eâ, quâ migravit horâ, visus est in veste candida, olivæ ramum manu tenens ac se illum è Paradiso haberé testatus. Alij è suis visus est totus in lilium candidum commutari, quòd ab Angelis cælo illatum ëst. Alij apparuit in domo pulcherrima & illustri; eum de salute sua quærentem complexus, in sede splendida secum sedere jussit, atque dixit: *Dictum est mihi, veni requiescere. In pace & requie sum. Vita ejus.*

S. *Petro Cælestino*, post abdicatum Pontificatum Romanum morienti Angeli applausêre, eumque ad Magistrum IESVM, ac MARIAM duxere. Cujus animam cùm in cælum ferri videret quidam, peteretque consilium, quid sibi agendum esset, ei sanctum Silentium suasit. *P. Nadasi.*

S. Carolus Borromæus Cardinalis, Francisco Adomo è Soc. IESV, Confessario suo post mortem pulcherrimus

rimus apparuit, & dixit: *Benè mecum agitur*: Tu quoque brevi accerseris; eique mortem imminentem prædixit. S. Dunstanus Archiepiscopus à Cherubinis & Seraphinis, auro coronatis ad cælum invitatus, Sabbatho moriens, visus est unà cum lectulo ferri in cælum. *Vita ejus.*

B. Jacobus Alemannus, Ordinis S. Dominici ab Angelo audivit: *Serve DEI esto fidelis usque ad mortem*, ingentia sunt quæ tibi pro parvo labore ac certamine proponuntur præmia, ad quæ ingentia præmia, prævisa priùs morte corde per generalem totius vitæ Confessionem mundato, abijt viso hic in extasi floribus, & concentibus amænissimo deliciarum Paradiso fruiturus æternum. *Vita ejus.*

Expirante S. Francisco Seraphico quidam fratrum animam eius in stellæ specie, de ore emicuisse, cælumque petijsse vidit, *In vita ejus.*

Qua

Quâ horâ Neapoli ad cælos evolavit *Sanctus Patriarcha Cajetanus*, dum extaticus esset in Hispania Sanctus Petrus de Alcantara, ejus animam ad cælestem ascendere Patriam vidit, exclamavitque: Hodie in mundo una ex præcipuis Ecclesiæ columnis cecidit. *Joannes à S. Bernardo de S. Petro de Alcant.*

Sanctus Antonius *Abbas*, non modico locorum intervallo discretus, Ammonis Abbatis obitum cognovit, cùm animam eius multo candore illustrem, & in sublime tendentem, conspexisset. *Marulus lib.* 16. *c.* 16.

Inter cælestes voces Angelorum & cantus, felicissimus spiritus B. Laurentij Iustiniani, velut igniculus, in cælum emicuit. *In vita ejus cap.* 12.

In obitu Venerabilis *P. Andreæ ex Olmo*, qui in Indijs occidentalibus quadraginta tres totos annos, in prædicanda Catholica fide consumpsit,

psit, auditi sunt Divini concentus. *Bozius de signis Eccl. lib. 12. c. 21.*

Paulo antequam Venerabilis Frater Petrus *Nicolaus Fattorus* è vita emigraret, suavissimus Angelorum cantus, in eius cella à multis auditus est, qui & in *Ecclesia* nocturno tempore, dum ibidem eius corpus moraretur iterum insonuit. *In Chronicis Minorum.*

In obitu Agilli Resbacensis Abbatis, Ado Monachus lætantium Angelorum cantus audivit. *Marulus lib. 6. cap.* 10.

Marina de Escobar quemadmodum habet in eius vita *Ludovicus de Ponte*, Vidit de Societate IESV in cælo splendidos multos, è quibus, illi qui se affligendi studio fuerant in vita magis addicti, habebant cruces pretiosas in manu. *Lib. 4. c. 14. § 2.*

S. Andreas Corsinus post obitum familiari sibi Canonico apparens, in veste candida, & lilia, rosasque

quæ gerens manibus, ex virginitatis suæ ac pudicitiæ symbola & prœmia esse dixit. *Ex relatione Romæ impressa, pro Canonizat.*

Leo è primis unus Socijs *Sancti Francisci* gloriosum Cælitum agmen in cælo vidit In toto illo agmine unus præ alijs eminere videbatur, *Bernardus de Quinta valle*, è cujus pulcherrimis, & omni sole illustrioribus oculis, pleni gloriæ radij emicabant. Petenti splendoris illius causam: responsum è cælo est: illud prœmium esse *Bernardi*, quòd cùm viveret omnia quæ videbat, in meliorem partem fuerit interpretatus, neque se ulli judicem præfecerit, sed omnes pro se ut meliores, fuerit veneratus. *Histor. Minorum.*

Fassus est Religiosus quidam, se à languore omni, ad mirum in Spiritu ardorem inflammatum, viso mortuo nuper P. Barnaba La Vecchia, & auditis ex illo verbis illis: *Utinam*

nam saperent, & intelligerent, ac Novissima providerent: Obijt Bivonæ Anno 1614. 19. Aug.

S. Cæsarius Episcopus, ut se ac suos à torpore servaret, familiares habuit voces illas quas etiam inter dormiendum auditus est altâ voce repetere: *Duo sunt: Nihil est medium! duo sunt: Aut in cælum ascenditur, aut in infernum descenditur.* Et cogitatione illa armatus ita exarsit ad miram quandam flagrantiam; ut biennio ante mortem, conspectâ eâ, quæ in cælo ei reposita erat, corona, vocemque de cælo audierit, in hæc verba. *Lætare in Domino, ecce quæ percipies pro tuo servitio.* Talis est vita, & fervor, & Mors, & Corona flagrantium in amore DEI. Non sinit illos dormitare. Mortis, Iudicij, Inferni, & Gloriæ Cælestis memoria. At quanta est illa Gloria Beatorum? Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ

præ-

præparavit DEUS illis, qui diligunt illum. *Inquit Apostolus 7. Cor. 2.*

Cum magno teneretur desiderio *D. Augustinus sciendi*, quanta sit gloria Beatorum in cælo, decrevit in hoc negotio consulere *Sanctum Hieronymum*, qui tunc obierat inscio ipso. Vix Epistolæ salutationem scripserat, & ecce præstò adest Sancti Hieronymi anima ineffabili lumine circumsepta. Expavit *Sanctus Augustinus* corruens in terram. *Ne timeas*, (inquiebat vox è splendore procedens:) *Ego sum frater tuus Hieronymus, qui in hac hora apud Bethleem in Cælum migravi. Novi desiderium tuum, Gloriæ Beatorum magnitudinem nosse aves? Peto à te: Numquid potes numerare multitudinem stellarum? Numquid poteris totum mare parvo vase concludere? Numquid totum mundum pugillo tuo complecti?* Respondit Augustinus & benè, se nihil horum posse. Subdit sanctus Hieronymus:

mus: *Dico tibi, hæc omnia magis possibilia, quàm minimam futuræ gloriæ partem explicare.* Excedunt omnia humanæ mentis captum. Operare quod operaris, ut tandem ad eadem gaudia cursu vitæ demenso pertingere merearis, & sic evanuit S. *Augustinum*, ingenti gaudio perfusum relinquens. *Didacus dela Vega in Psalm.* 50.

B. Ioanna Sanctimonialis, post mortem sorori suæ Sanctimoniali adfuit, ac dixit: *Talia esse Cæli gaudia, ut etiamsi firmamentum totum nonnisi membrana, pelagus atramentum; herbæ & gramina câlami, omnes deniq; Creaturæ scriptores essent; ea explicare non possent,* Menelog. Cisterciense.

Idem & ipsè Dæmon aliquando ex ore, obsessi dixit: *Si totum cœlum esset pargamenum, & totum mare atramentum, & omnes stellæ magistri Parisienses, & omnia stramina cala-*

calami: hi omnes Magistri, & cæteri, nec exprimere scribendo; nec exponere loquendo possint, minimum gaudium, quod percipiunt Sancti ex vultu DEI Stanihurst. *de 4. Noviss.*

Jordanus è D. *Dominici* Familia Vir magnus interrogavit hominem à Dæmone infessum quid perpeti non recusaret ut DEVM intueri posset? ad quæ invisus hospes respondit: *Si ego solus omnium sociorum meorum infernalium, pœnis ac supplicijs par essem. non eas detrectarem usque ad Supremi Judicij diem perferre, modò demùm liceret DEUM intueri.* Expavit vehementissimè ad has voces *Jordanus*, & iterùm, dic, ait pulchritudinem Conditoris nostri, cui rei creatæ comparand m censes? hæc stultè quæri malus genius reposuit. Sed quia id scire aves compendio dicam: *Si pulchritudo omnium florum, gemmarum, syderum, animalium, hominum in unam conflueret e-*

le-

legantiam, *quis mortalium* eam satis æstimaverit? Atqui certo scias, hanc omnium rerum creatarum venustatem, velut colliquatam cum Divina pulchritudine, minùs conferri posse quàm densissimas tenebras, ad clarissimum meridiem. *Joan. Herodotus in serm. lib. 5.*

Hinc *Franciscus Arias lib. de Imitatione Christi* 1. *part. tr.* 3. *c.* 11. *Si*, inquit, *Sanctorum aliquis, per mille annos in hac vita, omnia tormenta Martyrum perferret; dein* DEUS, *tantum per spatium unius salutationis Angelicæ se illi ostenderet in gloria, fateretur sufficientem se accepisse mercedem.* Idcirco S. *Chrysostomus*, ut uno ictu oculi, per transennam contueri liceret venustissimum IESV vultum, plenum gratiarum, paratum se omnia inferorum cruciamenta, experiri professus est.

Quòd si DEVS (*inquit S. Brigitta in revelationibus suis*) hodie

nobis venuſtatem demonſtraret unius animæ Beatæ, tantus foret cordium noſtrûm jubilos atque exultatio; ut citra ſpeciale DEI miraculum, præ lætitiæ exuberantia ſupervivere non poſſemus.

Author Philoſophiæ veri Chriſtiani, meminit Dæmonis ore energumeno coacti, ad quæſita de felicitate prædeſtinatorum in cælo regnantium reſpondere, qui dixerit: *Se, ſi corpus haberet, paratum fore in mortario contundi, aut exuri in fornace aliqua, uſque ad finem mundi, ad hoc, ut vel, ad quartam horæ partem, beatis prædeſtinatorum gaudijs frui poſſet. pag. 94.*

Coloniæ ante annos circiter 400. in Æde D. Petri multa Diabolus per fœminam à ſe infeſſam effutivit. Inter cætera interrogatus, me audiente (*inquit Cæſarius lib. 5. Miracul. 10.*) quid de ſuo ad cœlum reditu ſentiret, quo eum pretio ſi poſſet, emer. t? Ad

hæc

hæc malæ fidei possessor: *Si à terra, inquit, ad nubes usque columna porrigeratur, clavis, cultris, & novaculis, undique præfixa. & ego humanâ carne ac membris vestitus, per eam dies noctesque sine intermissione usque ad diem judicij sursum, deorsum trabendus essem, id prorsus non recusarem, modò in eam quâ excidi & gratiam & gloriam, redire liceret.* Et nos delicatuli pro obtinenda hac immensa gloria æterna, minimas etiam molestias, subire formidamus! Non nobis columna figitur præacutis armata ferramentis, in qua sursum, deorsum raptati irrequieto cruciatu laceremur. Non exigit à nobis DEVS, ut omnia omnium Diabolorum tormenta sustineamus, sed ut solum cælum emamus. DEVS enim mercatorem, ait, *D. Augustino* præcone ac interprete. *Venale est quod habeo, dicit tibi DEUS, eme illud. Quid habes venale? Requiem venalem*

nalem habeo, eme illam: pretium ipsi-us labor est. Rectè nimirùm pau-pertate Regnum, dolore gaudium, virtute gloria, morte vita, requies la-bore emitur. Age, Age; fructus la-bori amplissimè respondebit. O si sci-retis quantos & quales socios habere-tis in cælis, profectò caveretis vobis ab omni negligentiâ! dixit excitans nos ad fervorem mortuus ille, qui S. Bernardo apparuit, *Teste Horstio oper. S. Ber: t. 1. vita lib. 7. c. 1.*

Cælum tibi est propositum, (*in-quit S. Chrysostomus in Psalm: 124.*) & bona quæ sunt in cælis? & non per-horrescis esse mollis & ignavus, id-que, cùm talem habeas adjutorem? DEVS Charitas est, ille te juvat. A-ma te juvantem dum pugnas; & eò magis te juvabit, quò magis amave-ris & pugnabis. O quisquis es fidelis Christi Minister, qui in huius honore præliaris, qui totum te pro Ecclesiæ obsequio, pro animarum subsidio, im-

pen-

pendis! audi ipſummet DEVM, tibi, quod olim alteri fideliſſimo ſibi ſervo dicentem: *Noli timere, ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis* Gen. 15. Verè merces magna nimis, propter nimiam ſcilicet charitatem, qua dilexit nos. nimis quippè honorati ſunt amici tui DEVS, nimis confortatus eſt principatus eorum. *Eph.* 2. *Pſal.* 138.

Verùm ad magna præmia (*inquit D. Gregorius Hom.* 37. *in Evangel.*) perveniri non poteſt, niſi per magnos labores, Regnum enim Cælorum vim patitur neque coronabitur, niſi qui legitimè certaverit. Delectet igitur mentem, ingens magnitudo præmiorum, ſed non deterreat certamen laborum. Imò ipſa promiſſæ gloriæ magnitudo animi magnitudinem excitet, & ad difficilia quæque, pro DEI gloria ſubeudda, Chriſti Sacerdotem, & Miniſtrum obfirmet.

Quoties igitur in ipſis Miniſte-

rijs Ecclesiasticis aliquid occurret naturæ durum & asperum, quoties urgebit tentatio aliqua & contra Spiritualia nequitiæ subeunda erit colluctatio, cœlum suspice, & illic Christum regnantem palmas ac coronas manu protendentem intuere; tibique sæpius in mentem revoca, quis sit laborum tuorum terminus? quis suscepti Ministerij finis?

Ingens quidem (*ait S. Gregorius Nazianzen.*) nobis cursus propositus est; cæterùm ingentius prœmium: *In Senten:* Quis enim alius est noster finis. (*Inquit S. Augustinus Lib. ult. de Civit. DEI cap. ult.*) quàm pervenire ad Regnum, cuius nullus est.

FINIS.

Pro DEI Gloria, & finali gratia.

De Vanissima, ac citissimè transitura rerum mundanarum dignitate.

SI tibi pulchra domus, si splendida mensa,
Si tibi Sponsa decens, si splendida mensa.
Si tibi sint nati, si prædia magna.
Si fueris pulcher, fortis, divesque,
Si mundus ridet, si prospera cuncta,
Si Prior, aut Abbas, si Rex, si Papa,
Si rota fortunæ te tollat ad astra,
Si felix regnes hîc annis mille, — Quid inde? Quid inde?
Omnia prætereunt, nil fixum permanet inde.
Sola manet virtus, quia glorificabimur inde.

Pro mundi contemptu, D. BERNARDI versus.

SI mihi sint vires & prædia magna,
Auri sint species, Argenti massa,
Si mihi sint nati de Regis stirpe,
Longus servorum mihi serviat ordo,
Si doceam socios in qualibet arte,
Et rota fortunæ me tollat ad astra,
Si felix annis regnavero mille, — Quid inde?
Jam citò prætereunt hæc omnia, quod nihil inde.
Servíat ergo DEO omnis homo, quia fit satis inde,

Incerti Authoris.

VIr bone, quid curas res viles, res perituras
Nil profuturas, damno quandoq; futuras,
Nemo diu mansit, in culmine sed citò transit:
Est brevis atq: levis in mundo gloria quævis.
Qui fuit hîc imus, illic erit ordine primus.
Quid lucri referet, qui mundo totus inhæret.

B. Anselmi de vita Monachorum, & mundi contemptu, Carmen planè Divinum.

PRopositum vitæ Monachi servare rigorem,
Nec pigeat parvo tempore, parva pati;
Exiguus labor est, sed merces magna laboris,
Præterit ille citò præmia sine carent,
Non tonsura facit Monachum, non horrida vestis,
Sed virtus animi perpetuusque rigor.
Vovistis Domino vestros convertere mores,
Jam non peccetis, sit modus à vitijs:
Nunc humilis vivat, qui vixerat ante superbus
Sit castus quisquis, luxuriosus erat.
Gaudebas dapibus gaudebas divite mensa,
Nunc tenuem victum sobria cæna dabit.
Contemptis mundi rebus labentibus istis,
Jam sint in solo gaudia vestra DEO.
Nam quid honor? quid opes? quid gloria? quidve juventus?

Forma

Forma, genus, vires? femina? vestis? ager?
Magna potentia? multa scientia? falsa voluptas,
Vita quid? & nostri corporis ipsa salus?
Non amo quod pestis, quod fur, quod surripit hostis,
Et quæ si parca aspera mors adimit.
Quis poterit fari? quis scribere? quis meditari:
Quæ dabis in cælis præmia Christe tuis.

Mundus suos amat, alienos odit.

HOs amat, hos opibus cumulat, miroque favore
Prosequitur mundus, quos videt esse suos.
Quos autem æthereas contendere cernit ad arces,
Hos odit, varijs exagitatque modis.

Mundus quos aspernatur, CHRISTUS recipit.

QVid mæres, quod te mundus fastidit & horret:
Te cruciat miris insequiturque modis.
Erige te, mundus quos aversatur & odit,
Excipit hos Christus, colligit atque fovet.

1. Pet. 5. v. 8. Adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit quærenquem devoret. & Jac: 4. v. 6. Resistite diabolo, & fugiet à vobis.

Hostis non lædit, nisi cùm tentatus obedit,
Est leo si cedit: si stat quasi musca recedit;
Justa necesses aderunt post semina messes:
Post lachrymas risus, post exilium paradisus.
Fle si solari, jejuna, si saturari,
Da si ditari, servi si vis dominari.
Sis in amore Dei, ferventi pectore fixus,
Nil tibi profuerit, si consummatio desit.

CHRISTUS AD ANIMAM.

Perferat offensas omnes, non inferat ullas,
Qui super alta cupit sydera pace frui.
Vita brevis, modicus labor, optatissima merces
Immensum semper, perpetuumq; bonum,
Cernite quàm celeri labantur tempora cursu,
Quamq; fugax nullam sentiat hora moram.
Felix qui semper vitæ bene computat usum.
Cogitat & finem jam fore jamq; suum.

Expostulatio JESU CHRISTI, cum mundo ingrato.

Sum pulcher: at nemo tamen me diligit,
Sum nobilis: nemo est mihi qui serviat.
Sum dives: à me nemo quicquam postulat:
Et cuncta possum: nemo me tamen timet.
Æternus exsto: quæror à paucissimis.
Prudensq; sum: sed me quis est qui consulat?
Et sum via: & per me quotusquisq; ambulat.
Sum veritas: quare mihi non creditur?

Sum-

Sum vita: verum rarus est qui me petit.
Sum vera lux: videre me nemo cupit.
Sum misericors: nullus fidem in me collocat,
Tu, si peris, non id mihi imputes Homo,
Salus tibi est à me parata: hâc utere.

In Superbiam.

VNde superbit homo, cujus conceptio culpa,
Nasci pœna, labor, vita, necesse mori.
Post hominem vermis, post vermem fætor & horror,
Sic in non hominem vertitur omnis homo

De Mrte.

LUxus, delitiæ, pompaque sæculi,
Fasces, Nobilitas, Stemmata, Purpura,
Nomen, Divitiæ, fluxaque gloria,
Et quid sunt aliud, quàm breve somnum.
Certo veniunt ordine Parcæ:
Nulli jusso cessare licet,
Nulli scriptum proferre diem.
Recipit populos urna citatos.

De Judicio.

IUdicabit judices Judex generalis,
Ibi nihil proderit dignitas Papalis,
Sive sit Episcopus, sive Cardinalis.
Reus condemnabitur, nec dicitur quare,
Ibi nihil proderit multa allegare;

Neque excipere, neque replicare.
Nec ad Apostolicam sedem appellare;
Reus condemnabitur, sciens bene quare.
Cogitate miseri, qui & quales estis,
Quid in hoc judicio dicere potestis;
Quò nec erit codici locus, nec digestis,
Christus Judex, Dæmon actor, reus testis.

Occasiones peccandi.

Otia, segnities, somnus, caro, femina, vinum;
Prosperitas, ludus, carmina, forma, puer.

S. August. in Manuali.

Quisquis amas mundum, tibi prospice quo sit eundum,
Hæc via qua vadis, via pessima plenaq; cladis.

Venerabilis Thomæ à Kempis, in Opusculo Undecimo.

MOnache ad quid venisti,
Quare mundum reliquisti,
Cur Cappam istam induisti,
Et pompam mundi despexisti;
Nonne ut Deo servires,
Et cor tuum custodires;
Cur ergo sic vagaris,
Et vana meditaris.
Multum peccas evagando;
Tempus perdis otiando:
Apprehende arma & scutum,
Evagari non est tutum.

Otiari grande vitium,
Fabulando perdis præmium.
Operando vince tædium,
Orando quære remedium.
Mane ergo in Cœnobio,
Vive castus sine proprio:
Fuge, tace cum Arsenio,
Sede solus cum Macario.
Sæpe ora cum Antonio,
Labora cum Paphnutio.
Jejuna cum Evagrio,
Vigila cum Hilario:
Sustine dolores cum Laurentio,
Despice honores cum Vincentio.
Dilige JESUM cum Ignatio,
Fer damna rerum cum Eustachio.

Sermo Christi ad Sacerdotes.

PAstores hominum Sacerdotes mei,
Præcones veridici, lucernæ Dei,
Charitatis radix fulgentes & spei,
Auribus percipite verba oris mei,
Vos in Sanctuario mihi deservitis,
Vos vocavi palmites, ego vera vitis:
Cavete ne steriles, & inanes sitis,
Si mecum perpetuo vivere velitis.
Vos estis Catholicæ legis protectores,
Sal terræ, lux hominum, ovium pastores;

Muri domus Israël morum correctores,
Vigiles Ecclesiæ, Gentium Doctores.
Si legis protectio cadat lex labetur,
Si sal evanuerit in quo salietur;
Nisi lux appareat via nescietur,
Et ni pastor vigilet ovile frangetur.
Vos cæpistis vineam meam procurare,
Hanc doctrinæ rivulis debetis rigare,
Spinas atque tribulos prorsus extirpare,
Ut radices fidei possint germinare.
Vos estis in area boves triturantes,
Prudenter à palea grana separantes,
Vos habent pro speculo legem ignorantes,
Populi qui fragiles sunt, & inconstantes.
Quidquid vident lucri vobis displicere,
Dicunt procul dubio sibi non licere;
Et quidquid vos opere vident adimplere,
Credunt esse licitum & culpa cavere.
Cum pastores ovium sitis constituti,
Ne estote desides sicut canes muti.
Vobis non deficiant latratus acuti
Lupus rapax invidet ovium saluti.
Grex fidelis triplici cibo sustinetur,
Meo sacro Corpore, quo salus augetur.
Sermonis compendio quod disertè detur,
Ciboque corporeo ne periclitetur.
Omnibus tenemini vestris prædicare,
Sed quid quibus qualiter ubi quādo quare,
Debetis soliciti præconsiderare,

Ne

Ne quis in Officio dicat vos errare.
Spectat ad Officium vestræ dignitatis,
Omnibus petentibus mea dare gratis;
Ne cujusquam hominū munera prehēdatis
Ne cum Giezi pariter lepram incurratis.
Gratis & absolvere, gratis baptisare;
Vobis data cælitùs cuncta gratis dare,
Eorumque salutem sedulò curare.
Vestra conversatio sit religiosa,
Munda conscientia, vita virtuosa;
Regularis habitus mensque gratiosa;
Nulla vos coinquinet labes vitiosa.
Nullus fastus elevet statum vestræ mentis,
Gravis in intuitu habitus sit testis,
Nihil vos illaqueet curis inhonestis,
Quibus claves traditæ sunt regni cælestis.
Estote brevilequi ne vos ad reatum,
Pertrahat loquacitas, nutrix vanitatum;
Verbum quod loquimini sit abbreviatum,
Nam in multiloquio, non deest peccatum.
Estote benevoli, sobrii, prudentes,
Justi, casti, simplices, pij, patientes;
Hospitales, humiles, subditos docentes?
Consolantes miseros, pravos corrigentes.
Nam si sic gesseritis curam pastoralem,
Vereq; vixeritis vitam spiritalem,
Postquam exueritis chlamidem carnalem,
Ipse vobis conferam stolam immoralem.

De

De Sacerdotio S. August.

SIcut nihil eſt in vita beatius Presbyteri dignitate, ſi eo modo militetur, quo Imperator noſter Chiſtus jubet: ita nihil eſt apud Deum triſtiùs, miſerabiliùs, & damnabiliùs, ſi perfunctoriè atq; adulatoriè res agatur.

S. Chryſoſthomus.

NOn temerè dico; ſed ut affectus ſum, & ſentio non arbitror inter Sacerdotes multos; qui ſalvi fiant, ſed multo plures, qui pereant, in cauſa eſt, quoniam res excelſum requirit animum & innumeris oculis illis opus eſt undique.

S. Hieronymus.

GRandis dignitas Sacerdotum, ſed grandis ruina eorum, ſi peccent, lætamur in aſcenſum; ſed timeamus ad lapſum non eſt tanti gaudij excelſa tenuiſſe, quanti timoris eſt de ſublimi corruiſſe.

S. Ambroſius.

SIcut nihil eſt Sacerdote excellentiùs, ſic nihil eſt miſerabiliùs, ſi de tanta vita periclitetur, ſi Sacerdos in crimine teneatur, quia ut leviùs eſt de plano corruiſſe, ſic gravius de ſublimi dignitate cadere, quia ruina, quæ de alto eſt, gravi caſu collidetur.

Beda de SS. Euchariſtiæ Sacramento

Sacer-

SAcerdos non legitimè impeditus celebrare omittens, quantum in eo est, privat S. Trinitatem laude & gloria; Angelos lætitia, peccatores venia, justos subsidio & gratia, in purgatorio existentes refrigerio. Ecclesiam spirituali Christi beneficio, & seipsum medicina & remedio.

In sæculi amorem.

QVid terræ portio, pulvisq; extolleris,
Mox nudus utero matris effunderis;
Nudus visceribus terræ reconderis,
Et duro judicio damnandus sisteris.
Quid fidis sæculo, stat prona æternitas,
Quid spe deluderis, stat firma æternitas;
Quid fugam cogitas, stat certa æternitas,
Quoquo te flexeris; terret æternitas.
Bonis hîc fruimur ibi igne exurimur,
Momento fruimur, æternum urimur,
Bonis hîc pascimur, æternum patimur,
Momento pascimur, æternum patimur.
Quis pro his opibus tormenta deligat,
Pro mundi gaudijs, Divina negligat,
Pro mundi honoribus cælestes abigat,
Pro tam fugacibus, quis flammas eligat.
Syrenum vocibus, quis aures præbeat,
Quis ignes cogitans, æterna voveat,
Æterna providens, non mente paveat.
Flammasq; contuens, non totus horreat.
Felix, qui potuit opes contemnere,

Pu-

Prudens qui gloriam concessam spernere,
Fortis; qui munera mundi despicere,
Æterna munera doctus eligere.
Mundi qui negligit promissa præmia,
Æterna brevibus metetur gaudia,
Mundi qui sequitur promissa præmia,
Æterna brevibus commutat gaudia.
Hæc volvat animo, stat certa æternitrs,
Flammarum crucians tristis æternitas
Cælorum recreans felix æternitas,
Momentum medium utrinq; æternitas.
Honores fugiunt, manet æternitas,
Aurum te deficit, manet æternitas,
Caro dilabitur, manet æternitas.
Et pro tam vilibus, tam sæva æternitas.
Pro tam fugacibus immensa æternitas,
Pro tam fallacibus, tam vera æternitas,
Pro tam fragilibus, tam dura æternitas,
Et pro tam brevibus, æterna æternitas.
Quis pro tam brevibus, æterna deligat,
Quis ignes sulphura flammasq; intelligat,
Quæ sæva æternitas, æternum colligat,
Nullaq; æternitas, æternum mitigat.
O dura nimium pœnarum æternitas!
O sæva & effera flammarum æternitas,
O cruda nimium longaq; æternitas,
Finemq; nesciens, æterna æternitas.

